QUOD FELIX FAUSTUMQUE SIT!

DISSERTATIO INAUGURALIS DE EXECUTIONE IN EFFIGIE;

QUAM

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. LUDOVICO,

DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ,
COMITE MOMPELGARDI,
DYNASTA IN HEIDENHEIM. &c.
UNIVERSITATIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO;

AUTHORITATE
MAGNIFICI ATQUE AMPLISSIMI JCTO-
TORUM ORDINIS,

PRÆSIDE


JOH. ANDREA Frommann/ U.J.D.
& PP. Facultatis h. t. DECANO,

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS RI-
TU SOLENNI MORE MAJORUM CAPESSENDIS,

Publico Eruditorum Examini committit

HENRICUS ZOBEL, BREMENSIS.

IN AULA NOVA




Die Augusti,

ANNO,

QUI UT EST ACADEMIÆ JUBILÆUS SECUNDUS, ITA ET
FELIX SIT AC SECUNDUS, IMO JUBILÆUS.

M. DC. LXXVII.

TUBINGÆ, LITERIS HEINIANIS.



Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO INAUGURALIS DE EXECUTIONE IN EFFIGIE.

Thesis I.



Vigilantissimus ille Consul, ac publicæ securitatis sollicitus custos M. Tullius, cùm aliquando noctu lassus quidem corpore, at impigro animo diurnis suis curis atque excubiis intentus, videret per quietem Octavio Augusto à Jove flagellum porrigi, hoc omine Romanum Imperium portendi interpretatus est. *Suet. in Aug. c. 94.* Dio Cass. *l. 45.* Nec errasse Clarissimum virum in somnio, nec somniasse in scrutinio res ipsa docuit. Quemadmodum enim ex sago militem, ex paludamento ducem, ita ex loris flagrisque imperandi potestatem veteres agnoverunt. Ægyptii quoque, ex simili significandi simile gens callentissima, per flagra hieroglyphicè dominationem denotavere: nec minùs ipsos veteres Romanos flagello, an suo potiùs invento, an aliorum exemplo? ad imperium significandum in quibusdam numismatibus consularibus usos esse deprehendimus. Quippe ea hominum ferè conditio est, ut iis, quæ in oculos incurrunt, vehementiùs afficiantur, quàm quæ sola mente cernuntur. Quicquid enim per oculorum fenestras ad animi penetrale intromittitur, non potest non splendidum exemplar sui relinquere, cordisque fibras impetuose vellicare, ac in varios effectus, metum, fugam, odium &c. incitare.

citare. Idcircò vivis simulacris ipsarum rerum energiam exprimere ingeniosa quadam curiositate prudentiores, ipsiq; rerump. moderatores conati sunt, ut ita se multitudinis ingenio, popularique auræ accommodantes, iis, quibus maximè vulgus hominum capi posse scirent, maximè sollicitarent. Tum verò iis ante omnia opus fore judicarunt, ubi scelerum fugam, pœnæ metum, odiumque maleficorum publicum ingerere atque exprimere voluerunt. Quamobrem Consulibus, Prætoribus, Præsidibus &c. lictores cum fascibus aderant, ut quotidie oculis obversaretur, virgas eorum tergis, secures capitibus imminere, si quod impium facinus ausi essent. Ideò enim id cautum probat Alex. ab Alex. *gen. dier. lib. 1. c. 27.* ut provincia perniciosis hominibus purgaretur, illorumque audaciæ in tempore obviam iretur, flagitiaque ac dedecora pœnis ac damnis multarentur, *pœnas visu anticipando.* Duplicatusque fascium numerus in Dictatore, pœnæ quoque metum ita duplicavit, ut omne auxilium in sola parendi cura esse cœperit, sicut ex Liv. *l. 2. c. 18.* colligitur. Tanti res ea sanè fuit, ut iisdem illis loris ac flagris, iisdem illis fascibus summâ symmetriâ atque compendio tum magistratibus imperium, tum improbis supplicia pœnæque portenderentur.

II.

Hinc quoque factum, ut, quoties scelera castigari meruerunt, id non clanculùm in carcere, vel ignoto quodam urbis angulo, susciperetur, sed in Theatro, in foro, locisvé maximè conspicuis, astante civium corona, ut sic quilibet cognosceret fuso sanguine admodùm carè peccari, &, dum videret corpora reorum variis tormentorum generibus crudelissimè lacerari, sanguineis literis, efficacissimis orationibus, ad similium noxarum fugam persuaderetur. Atque ita viles illæ sceleribusque mancipatæ animæ, velut piaculares publici odii victimæ, ad severioris justitiæ aram in reliquorum salutem emendationemque immolabantur. Qui mos inter omnes ferè gentes miro concentu ac consensu observatus, quæ hoc deterrendi genus non negligendum esse duxerunt. Itaque videas passim non probari absonam Lacedæmoniorum consuetudinem, qui reos suos, & quos morte dignos putarunt, noctu, non die plectere consueverunt: saniùsque Romani, quibus noctu de nocente sumere

ſumere ſupplicium non liquit, quia nota eſſe ſupplicia ad aliorum emendationem publicè expedire cenſuere. Alex. ab Alex. *gen. dier. lib. 3. c. 5.* Idem cauſam dedit, quòd non modò præmia publicè diſtributa, honores publicè collati, mutique virtutis præcones columnæ ſtatuæque erectæ fuerint, quæ etiam poſt hominum memoriam decora illa loquerentur, ut cæteris incitamento eſſent, hiſq; trophæis aliis dormientibus ſomnus ex oculis, ignavia animis excuteretur: Verùm etiam illa ipſa laudis indicia in pœnæ conſortium aſcita ſunt, ne ſupplicii terrores obliterarentur, ſi ſtantib⁹ ſtatuis adhuc laudes immotè ſtarent, diuturnioresq; viderentur, quàm ut maleficiis everti poſſent.

III.

Nuſquam verò exſtat repræſentatæ pœnæ illuſtrius expreſſiusque monumentum, quàm memorabilis illa executionis ſpecies, quæ in effigiem ſuſcipitur, quæ ſerotino noſtri ſuperioriſque ævi partu demum in lucem prodiit, autore quidem incerto, certo tamen utiliſſimoque uſu paſſim per plurima Europæ regna recepta, nec in noſtro Imperio quoq; prorſus ignota, qua ſtupendo artificio ad præſcriptam ſententiæ normam ipſi abſentes decollantur, ſuſpenduntur, rotâ comminuuntur, &c. atque in imagine ita omnia exhibentur, quaſi præſentem reum coràm intuereris, ut nihilominus publicæ vindictæ, quantū fieri poſſit, ſatis fiat. Et cùm fugere hîc ſceleſti nequeat, ſcelera fugiantur. --- --- *Quid enim lex ſcripta invaret,*

Supplicii cùm terror abeſt, cùm vindice pœna
Ulciſci ſe læſa nequit; dum Judicis iram
Enſes atque rotas minitantis negligit abſens
Crimen, mordaci diſplodens cuncta cachinno,
Noxaque ſe notis condit ſecura latebris.
Ergo ne toties facinus dimittat inultum,
Juſta Ultrix ſcelerum Nemeſis; conſurgit in iras,
Invênitque vias, quibus & fugitiva prehenſet
Flagitia, atque reos ferali deſtinet enſi.
Nec mora, en abſentes ſententia fulmina torſit
Elapſis metuenda reis: Capere nocentum
Corpora picta manu veris viſenda figuris
Raptari admotis, viſu crudele, caballis
Hac ubi ſuppliciis conſuevit Scena Theatrum

Pandere, sumunturque nefando ex sanguine pœna:
Nec nisi præsentem plebs circumfusa necari
Judicat, ex notis agnoscens oribus ora.
Jamque micat gladius, venit & post fulgura fulmen,
Immanique ictu caput à cervice revellit.
Effigies truncata cadit; Plebs diriget omnis
Conspectu in medio: Ferrique stupescit acumen
Vulnere in insolito hærentis: Lictorque futuræ
Ad vivum apposita præludit imagine morti.

IV.

De conspicua hac totq; illustribus exemplis nostro prioriqùe seculo nobilitata, & in magnis quoque ducibus frequentata executione, publica hac inaugurali tractare animus est. Ut visis speciebus originem investigem⁹, quando ea locum habeat? & in quibus criminibus? quam ob causam introducta sit; quæ requisita? natura? proprietates? affectiones? porrò etiam de personis; ubi de judice, qui possit exequi in effigie, tum de procuratore, an ille in his causis ritè interveniat; postea de processu ipso, ubi aliquot necessariæ quæstiones in hoc negotio speciatim ventilandæ occurrunt, deinde de sententia ejusque partibus quid referamus. Pòst effectus tangamus, quidve secum invehat tum ratione ejus civitatis, in qua executionem hanc sustinuit, tàm quoad jura gentium, quàm civilia; tum ratione aliarum civitatum, in quibus jus civitatis postea acquisivit, & quid tandem, si talis legatione publica fungatur? Denique quibus rationibus solvatur, expediamus? quibus tota ejus cognitio, ut nobis videtur, compendiosissimè circumscribitur. Dum autem hanc executionis in effigie picturam hisce in tabellis exhibemus ad exemplar archetypi depictam, penicilli lapsum à recenti crudelis Tragœdiæ per Carnificem ad terrorem universorum peractæ memoria adhuc trementis atque nonnihil confusi, Benev. Lector facilè, ut spero, condonabit; præprimis, cùm viderit executionem hanc nondum ab autoribus ritè probeque pertractatam, ut & duce & comite destitutus, cui inniterer, quem consulerem non habuerim.

V.

Executio autem in effigie, prout amplissimo complexu omnes suas species ambit ac in se continet, ita describi poterit: Quòd

Quòd ſit judicati conſummatio, quà ſententia in facinoroſū lata ita executioni mandatur, ut ipſa delinquentis effigies vel ſtatua, de ea participet. Si altero oculo veterum monumenta, altero recentiora inſpicio, ac priſca novis confero, duplici ſe fronte offert hæc executio. Alia quippe vetuſtati placuit; aliam novitas ſuperinduxit. Illa ad infamiam irrogandam memoriamque damnandam; hæc ad vitam tollendam, adhibita; hinc illa in imagine ſeu typo famæ, quam ſtatua, eam ob rem poſita, præ ſe ferebat, hæc in pictura perſonæ, quam effigies exprimebat, contingit: Illa fit in ſtatuis ac imaginibus imò & columnis, quæ publica quondam adeptorum honorum virtutisque non vulgaris præconia erant, non requiſita conformitate cum damnato aut lineamentorum vultusque traducti ſimilitudine; hæc in quacunque etiam non illuſtri imagine, ſed præciſè os humerosque reo ſimili, ut cum Poeta loquar, ut ille commodè cognoſci inde poſſit, adeoque illa non niſi in illuſtribus, hæc etiam in plebejis locum invenit. Illà honorifica talis effigies ſaltem quovis modo deturbatur, confringitur, comminuitur; hac pictura rei eam præciſè pœnæ rationem ac modum ſolenniter recipit, quali ſupplicii genere reus ipſe, in quem tota hæc faba cuditur, afficeretur, ut idem quod ſimulacrum hominis exiſteret, ſupplicii quoque ſimulacrum exhiberet. Illa ferè acceſſoria tantùm aliarum pœnarum, ut ipſa infamia; hæc in graviſſimis demum criminibus adhibita, tanquam pœna principalis, ubi in ipſum rei facinoroſi corpus executio fieri non potuit.

VI.

Veteri itaque ævo recepta frequentataque executio in effigie eſt, qua eorum, qui rebus magnificè geſtis perpetuum nomen famamque ampliſſimam conſecuti, ſtatuis inſuper, ut gloria eorum ad poſteritatem propagaretur, à populo Senatuque decretis ornati fuere, ſi illi de atrociori aliquo crimine, quod memoriæ damnationem irrogat, condemnati eſſent, ſtatuæ imaginesque ex decreto judicii quovismodo deturbantur ac confringuntur ad famam honoremq; hominis prorſùs extinguendam.

Veſti-

Vestigia autem doctæ antiquitatis relegentes, vias, quibus ad talem executionem devenerit, & qua potissimùm re ad ita sæviendum in imagines illustrium quondam virorum, nunc scelere virtutem omnem exuentium, impulsa fuerit, non abs re erit inquirere.

VII.

Statuas ac imagines initio Diis demum positas Plinii quidem naturalis, potissimùm autem sacra referat Historia, longeque ultra Plinii calculum manifestat earundem & exstructionem, & divinum ipsis adorationis impiè ab idololatris gentibus exhibitum cultum. A Diis postea ad hominum statuas morem transiisse idem Plinius refert *Hist. nat. lib. 34. cap. 4.* qui tamen præterea autor est, ipsas hominum effigies non solitas fuisse exprimi, nisi ex illustri aliqua causa perpetuitatem merentium *d. c. 4.* Quid enim sublimius, quàm imagine indice ac præcone virtutis ultra mortem vivere æternitate temporum, famâ rerum? Quid magnificentius, quàm ipsorum heroum frontem statua expressam nullâ hominum memoriâ consenescere, quod illustribus solùm factis & perpetuum vel re vel exemplo usum habituris tàm debetur quàm comparatur. Summos illos statuarum ac monumentorum honores æternamque memoriam egregiè depingit, ac iis, qui pro patria occubuerũt, decernit Cic. *in Philipp. 14. circa fin.* *Erit*, inquit, *exstructa moles opere magnifico, incisaque litera, divinæ virtutis testes sempiternæ, nunquamque de vobis eorum, qui aut videbunt vestrum monumentum, aut audient, gratissimus sermo conticescet; ita pro mortali conditione vitæ immortalitatem estis consecuti.* & mox. *Ea exstructione, qua fit ad memoriam æternitatis ara virtutis.* Pluraque alia edisserit eam in rem Idem *Philip. 9.* Nec minori animo Valerius Maximus se in hoc jactat de Africani Catonisque statuis tractans, quarum illa in cella Jovis Opt. Max. poni meruit, unique Capitolium instar atrii, templum Jovis instar domicilii fuit; hujus verò effigies in ipsa curia quasi consilii officina asservabatur, indeque ad funus, si quod in illa gente esset, celebrandum expromebatur; *additq;*, Gratum Ordinem hũc utilissimum Reip. Senatorem tantùm non semper secum habitare voluisse. *lib. 8. c. 15.* Ne ergò tantus honor evilesceret, injussu Senatûs statuas erigere non licuit; quod Claudio Imp. alii tribuunt.

qui

qui omnes ſtatuas, privata autoritate collocatas, ſuſtulit, &, ne privatim in poſterum ponerentur, edixit, niſi opus ædificaſſet aut refeciſſet. Pezel. *in mell Hiſt. lib 2. in Claud.* Verùm ſæpius facta fuit talis prohibitio, & jam pridē Æmilio & Popilio II. Coſſ. ſcil. A. Urb. Cond. DXCV. idem factitatum ac decretum, Plinius narrat. *d. lib. c. 6.* Sed & Tiberium ac Cajum Caligulam idem edixiſſe, videre eſt ex Suet. *in Tiber. cap. 26. & in Caj. c. 34.* Demum ſeveriore pœnâ tum dedicantis, tum accipientis, prohibitum, ne, vel privatis, vel collegiis, liceat citra principale beneficium in cujuscunque honorem, ſive in adminiſtratione poſiti, ſive judicis, adeoque multò minùs privatorum hominum, in urbe, vel in provincia, ſtatuam ponere. *l. 1. C. de ſtat. & imag.* imò nec Principibus erigere ſibi inpoſterum privati arrogent. *l. 2. eod.*, ſed ab Imperatoribus petendum inpetrandumque, ſi cui benèmerenti præmia virtutis tribui conveniat. Unde & *poſtulatæ* iis *ſtatuæ* dicuntur. *l. 4. C. eod.* Hinc & ſumma olim ſtatuariæ ac picturæ cura atque æſtimatio fuit, & ne exculta virtus rudiore opere dehoneſtaretur, cum gloriæ monumentis ornatûs quoque admirationem conjungere cœperunt: de quo ornatu ejusque pretio agit *l. 2. ff. de loc. publ. fruend. §. 34. Inſt. Rer. diviſ. l. 9 §. 2. ff. eod.* Plin. *lib. 34. cap. 7. lib. 35. cap. 9.* Eaque ſenſim acceſſit ſtatuis Principum veneratio, ut in aſyli religionem verterentur. Quod edicto IIIvir. circa templū ac ſtatuam Julii primùm conſtitutum & in ſubſequentium Impp. imaginibus ac ſtatuis frequentatum eſt. *l. 17. §. 1. ff. de adil. edict. l. 38. ff. de iniur. l. 5. ff de extraord. crim. §. 2. Inſt. de his, qui ſui vel al. iur. l 2. ff. eod.* Senec. *lib. 1. de Clement.* Ita Antonius juvenis ad ſtatuam Auguſti confugit. Sueton. *in Auguſt. cap. 17.* & Tiberius Agrippinam, metuentem ejus crudelitatem, ad ſtatuas Auguſti confugere voluiſſe, criminatus eſt. Sueton. *in Tiber. cap. 53.* Ipſe adeò Artabanus Parthorum Rex, odium hactenus contemptumq; Romani nominis præ ſe ferens, amicitiam junxit, &, transgreſſus Euphratem, Cæſarum imagines adorare non erubuit. Idem *in Caj. c. 14.* Quin eò ſuperſtitionis res evaſit, ut non minùs ſtatuæ Principum impunitatem præſtarent malis, quàm ſecuritatem inſontibus; nec inferre per eas minùs, quàm declinare, injurias liceret. *Incedebat enim,* ut ait Tacit. *lib. 3. Ann. deterrimo cuique licentia impunè probra & invidiam in bonos excitandi arreptâ*

imagine Cæsaris: imo & servi non voces tantum refractarias, sed & manus violentas, dominis intentandi ansam sibi inde arripuere; cæpitque, si quis confugisset, inter improbitatis notas haberi. *l. 19. §. 1. ff. adil. edict.* ac in eum, cujus instinctu ad infamandum dominum servus confugisse compertus est, præter actionem servi corrupti, quæ ex edicto perpetuo competit, severè animadvertitur. *l. 5. ff. de extr. crim.* Qualis abusus statuarum à Cestio Senatore gravi oratione, non solùm notatus est, *cùm nec à Diis, quorum instar sint Principes, nisi justa supplicum preces, audiantur, & fœdissimum exemplo sit, non audere jus experiri ob effigiem Imperatoris oppositam*; Tac. *d. l.* sed quoque penitùs sublatus, primùm Scto & edicto D. Pii. *l. 28. §. 7. ff. de Pæn.*, cujus & mentio fit *in l. 38. ff. de Iniur.*, ac pòst constitutionibus Impp. *in l. un. C. de his, qui ad stat.* Vid. Magnif. Dn. Myler. *de Asyl. cap. 2. n. 1.* Sed solitarium decus hoc Principum statuis nemo adjudicet. Eadem Clarissimorum hominum imaginibus veneratio fuit, idem cultus, quin idem auxilium ab his & flagitatum & obtentum. Itaque Lepidam, multorū criminum ream, Pompeji statuæ ferè judicio populi absolverant. Tacit. *lib. 3. Ann.* Deorum ergo Tutelarium instar hæ statuæ fuere. Nec eum iis honorem ab inferioribus tantùm delatum reperio. Ipse Severus Imp. in larario Ciceronis & Achillis imagines religiosè coluisse, ex id ætatis Historicis enarrat Cluver. *in Sever.* Quod ex Ciceronis quoque fide recipiamus: *Apud omnes Græcos hic mos est, ut honorem hominibus habitum in monumentis huiusmodi nonnulla religione Deorum consecrari arbitrarentur. Verr. II.*

VIII.

Tantus ergò cùm fuerit imaginum splendor ac statuarum æstimatio, quid pronius, quàm, sicut præmiorum, ita & pœnarum inde rationem assumere? adeò, ut, quod in maximis meritis præmiorum primas teneret, ex eodem illo in maximis flagitiis supplicii initium caperetur. Idque non sine summa ratione. Cùm enim pœnarum acerbitates ex doloribus, ob privationem boni natis, petendæ sint, tantò acerbiorem destructarum statuarum luctum esse oportet, quantò erectarum fuit gloria exoptabilior & studium ferventius: atque ipse totaque gentilitas quò magis olim gauderet statuis adeptis, eò magis jam tristaretur ademptis, & ut Juvenal.

Frangenda miseram funestat imagine gentem.

Hinc

Hinc in publicis odiis nihil magis vindictam populi explevit, quàm statuarum imaginumque eorum, qui propter tyrannidem aut aliud crimen, hostium loco habebantur, vel universim perosi erant, destructio. Siquidem 360. Phalereo Demetrio Athenis statuas dicatas brevi pòst, nondũ anno hunc numerum dierum excedente, dilacerarunt. Romæ quoque in omnibus vicis C. Mario Gratidiano Tribus statuerant, easdemque Syllæ introitu evertére Plinius *lib. 34. cap. 6.* Sic videas C. Silii patris Scto abolitam effigiem Tac. *lib. 11. Ann.*; Vitellii cadentes plebejò impetu statuas. Idem *lib. 3. Hist.*; Item Domitiani apud Suet. *in Domit. cap. ult.* Galbæ apud Tacit. *lib. 1. Hist.*, aliorumq; statuas, crudelissimè tractatas, apud alios observes. Sejani triumphalem currum, à plebe cominutum, ita describit Juv. *Satyr. 10.* -- -- *descendunt statuæ, restemque sequuntur;*

Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cadit, & immeritis franguntur crura Caballis;
Jam strident ignes, iam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput.

Et apud ipsos Turcas, quod miror, depravata Ebraimi simulacra, gloriamque deletam fuisse, recenset Pontan. *lib. 33. Hist.* Memorabile verò præ cæteris, Trajanũ, morte prçventum, in statua sua, quæ in locum viventis currui triumphali imposita erat, curante Hadriano, triumphâsse; quemadmodum ècontrà de Cleopatra, violentâ morte antè exstincta, in statua ejus triumphatum est. Vid. Alex. ab Alex. *lib. 6. c. 6.* ubi plura similia recensentur.

IX.

At non video, inquis, quid imagines istas oppugnes? quid cũ umbris digladieris? quid feralem ensem in miseras illas structuras, quibus nec sensus, nec ratio est, tantâ stringas effervescentiâ? Annè, quemadmodum innumera ferè ex Draconis, vetustissimi Athenarum legislatoris, scitis sanctionibusque hauserunt Romani, ita illud quoque procedendi genus imbibere? Eum enim præter Bruta, res inanimatas puniendas judicasse, ut ligna, lapides, ferrum atque alia, si delapsa hominum occidissent, urbe & agro exterminanda statuisse refert Zœs. *ad ff. tit. de pan. num. 31.* Quod & ex Demost. in Oratione adversus Aristocratem annotat Budæus *ad l. 16. §. 8. ff. de pæn.* quem citat Covarr. *var. resol. lib. 1. cap. 7. Olim apud Athenienses ex Draconis legibus non homines solummodo, sed & animantes alia atq; inanimata cadis*

ta cadis perpetrata indictum subire tenebantur, eaque accusatio adversus animalia ratione carentia & inanimata in Prytaneo indicabatur. Memorat quoque Pausan. *lib. 1.* in Prytaneo Atheniensium judicio Græcos quotannis in jus vocare securim, qua occisus fuerat bos Erythræi regis Atheniensium. Ad illorum igitur Tribunal si statuæ nostræ appellarent, verè possent illæ & criminis reæ postulari, & propriè pœnam meruisse judicari: quemadmodum & apud Phasios statuam æneam in mare projectam, quòd cadens hominem occidisset, scribit Pausan. *lib. 6.*: Nisi fortè & hic sua ipsas tueretur ac absolveret innocentia, utpote cùm vel cædem per eas patratam fuisse, vel quemquam læsisse, quemadmodum in superioribus observatum est, argui & convinci non possent. Alio ergò prorsus sensu ad sensu expertes imagines Romani, eorumque juris Conditores supplicii executionem extendére. Non enim in ligna cæco impetu sæviebant, sed ad famam apparatus omnis tendebat, ut dum dimoveri statuas videres, labefactari honores cogitares; dum labi imagines aspiceres, famam in periculum adduci, judicares; dum simulacra diminuta ac cōculcata intuereris, memoriam planè omnem extirpatam deletamque esse recordareris, utpote quam imprimis statuis ac imaginibus æternari suprà diximus. Quod & inde non parùm lucis accipit, quòd ipsæ statuæ passim apud Autores memoriæ nomine designentur: ut cùm Tacitus de statuis Neronis & Poppeæ reponendis agit; *Creditus est*, inquit, *etiam de celebranda Neronis memoria cogitasse, spe vulgum alliciendi, & fuere, qui imagines Neronis reponerent. lib. 1. Hist.* & tales honores memoriæ decerni, ait idem *lib. 5 Ann.* & Cicero de iisdem statuis agens, *Monumēta*, inquit, *fama tua ac nominis. in Verr. 2.* Sic Sueton. *in Domit. cap. ult. detectiꝗ statuis senatum omnem memoriam delendam decrevisse.* iterumque Tacit. *lib. 4. Hist.* Referente Cæsare de restituendis Galbæ honoribus censuit Montanus, *ut Pisonis quoꝗ memoria celebretur.* Statuæ illic tum honorum, tum memoriæ, nomine veniunt; de statuis enim illic ubique sermo est, ut proinde earum destructio famæ, honorum, memoriæque abolitionem significet.

X.

Jam alia menti executionis imago occurrit, aliaque in imagine executio: In *Nomen* videlicet damnati; cujus quidem repræ-

repræsentatio angusta videri posset, quòd literarum se prodat, non lineamentorum, ductibus, sed eò efficacior, quò & artificum aberrationibus minùs obnoxia, & ad unius personæ ideam imprimendam magis determinata est. Hæc in *Nomen* executio uti executioni in imagine simillima est, ita semper ferè ei conjungitur. Nam nomen est quædam quasi imago, naturæ potiùs beneficio, quàm artis subsidio, quâ ipsa Persona, nobis cognita, veluti coloribus suis ad vivum depicta, exhibetur, memoriaque ejus, quasi semper præsentis, conservatur, ut, quod effigies significet oculis, id animo nomen repræsentet. Unde rectè Valer. Maxim. vel ut alii putant, ejus epitomator Julius Paris *in lib.10. Nomina, quæ ad unumquemq; nostrûm definiendum excogitata sunt, eandem vim hominis significandi obtinent.* Etsi enim nomina ita comparata sint, ut ex se nihil significent, sed vim omnem ab impositione hominum mutuentur, tamen, cùm semel visum cognitumq; hominem nominari audivimus, vel nominatum vidimus, ita naturali propensione idea illa illi nomini, vel nobis non advertentibus, alligatur, ut, eo lecto, vel audito, statim ipsa persona, licèt longè absens, vel mortua, sit, menti succurrat, non secus ac si præsens adesse, ac in conspectu nostro versari, videatur. De hac autem executione in nomen ita Gunther. Ligur.

Atque feros manes, & nomina sæva nocentum
Damnat. & Senec. in Octav.

Sævit in nomen ferus
Matris tyrannus, obrui meritum cupit,
Simulacra, titulos, destruit mortis metu
Totum per orbem.

XI.

Fit verò hæc in nomen executio, quando illud omnibus locis tollitur ac deletur, in quibus honoris, ac memoriæ causâ positum est, v. g. ex fastis Consularibus, aliisve dignitatum Albis, hujusque abolitionis, præter eam, ubi ipsum nominis receptaculum, ac quasi literariæ structuræ fundus interit, triplex ferè ratio fuit: Vel enim colore aliquo obducebatur, ut deinceps cognosci legique non posset, quem morem notat Euseb. *lib.9. cap. ult. Hist. Eccles.* de Maximino: *Inscriptiones etiam ac tituli quicunque honori eius ac liberorum per singulas urbes positi erant*

erant, partim de sublimi in terram detractis confractisque; partim, ut videntibus inutiles fierent, obscuro quodam colore obductis ac nigrefactis sunt. Vel luto, etiam conspurcabatur: ut Lamp. *de Heliogab. Misit qui titulos luto tegerent*. ut fieri solet ac 17. annis. Vel verò radendo penitùs deleri, absumi tollique nomen solebat. Sic *Maximini nomen erasum*, Capitol. in *Gordian.* & Tacit. *lib. 3. An.* ait: *Consul nomen Pisonis radendum fastis censuit.* ita & Cic. *Philipp. 14. circa med.* de nomine Antonii, è fastis sublato, ait: *Cujus consulatus est ex omni monumentorum memoria revulsus.* Cui tamen è diametro contrarium, quod Tacit. *alleg loc.* refert: *Tiberium noluisse Pisonis nomen è fastis tolli, quia M. Antonii, qui patriæ bellum intulisset, maneret.* Qua in re notandum est, quòd Cicero ferè omnibus istis actionibus Philippicis id unicè agat, ut Antonius pro hoste declaretur; Senatus verò bellum saltem decreverat; exinde autem Orator concludebat reipsa eum hostem declaratum, & proinde nec ipsius, ceu hostis, consulatus memoriam in fastis superesse: non quòd Senatus decreto id in specie factum sit, sed quòd ex decreto belli inferendum videbatur: ut patet *Orat. 4. & 7. Philipp.* Quorum ergo memoria abolenda est, eorum non tantùm statuæ ac imagines frangendæ, sed & nomina publicæ laudis, testimonii causâ posita, delēda sunt: quia imprimis his quoque memoria immortalitasque conservatur. Unde & in damnatæ memoriæ casibus cum statuarum destructione nominis abolitionem semper ferè conjunctam legimus. Ita Suet. *de Domitiano. cap. ult. Senatus clypeos ac imagines detrahi soloque affligi jussit, novissimè eradendos ubique titulos abolendamq; memoriam decrevit.* Capitol. *in Gord. Statuas*, ait, *Maximini dejecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitùs eraserunt.* Et de Imperatoris Claudii impudicissima conjuge, Silio palàm nubente, Tacit. *l. 11. in fin. Annal. Censuisse Senatum Messalinæ nomen & effigiem publicis ac privatis locis dimovendam.* Plenissimam verò formulam condemnatæ memoriæ quoad statuas atque nomen, aliaque concomitantia, refert Liv. in rogatione ac plebiscito illo Atheniensium scil. *Ut Philippi statuæ, imagines omnes, nominaque earum, item majorum ejus, virilis ac muliebris sexûs, omnium tollerentur, delerentur: dies festi, sacra, sacerdotes, quæ ipsius majorumque ejus honoris causâ instituta essent, omnia profanarentur. Loca quoque, in quibus positum aliquid, inscriptum honoris ejus causa fuisset, detestabilia esse:* additum-

tumque decreto ait, *si quis quid postea, quod ad notam, ignominiamque Philippi pertineret, ferret, id omne populum Atheniensem jussurum. lib. 31. cap. 44.* Quod itidem ex constitutione Imp. Arcadii ad Aurelium, P. P., qua Eunuchum Eutropium condemnavit, optimè deprehenditur, quæ exstat in *l. 17. Cod. Th. de pœn. Omnes statuas, omnia simulacra, tum, ex ære, quàm ex marmore, seu ex fucis, quàm ex quacunque materia, quæ apta est effingendis, ab omnibus civitatibus, oppidis, locisque privatis ac publicis, præcipimus aboleri; ne tanquam nota nostri seculi obtutus polluat intuentium.* Ex his itaque luculentissimè constat, totum illum apparatum memoriæ tollendæ ac infamiæ inferendæ inserviviſſe, non verò ut similitudinem supplicii in Theatrum quasi adduceret; & proinde probè secernendas esse hasce imaginum dejectiones, quæ sæpissimè olim infamiæ causâ adhibitæ fuere, à solenni ista in effigie executione, quæ speciem ac exemplar veræ pœnę, sententiâ comprehensę, continet, eamque pro tempore saltem imagini ingerit, atque ita in effictis reorum corporibus non ficta supplicia repræsentat.

XII.

Satis veteri illi executioni, quæ ad famæ memoriæque delinquentis abolitionem spectabat, impensum esse videtur, jam temporis ac ordinis ratio ad alteram illam nos vocat, quam ut nostra sibi potissimùm ætas, ita & illa sibi præcipuam quoque nostræ Dissertationis partem vindicat. Hæc quidem itidem fit in imagine seu effigie, sed non ea præcisè, quæ honorum ac memoriæ causa efficta atque exstructa est: Verùm quæcunque illa demum fuerit, ad hanc speciem sufficit, sive eo tempore formetur, quo instat executio, sive jussu magistratus persona pingatur, sive quondam ipse reus sibi eam effigiem faciendam curaverit: quam etiam in hoc negotio sæpè prælatam fuisse video. Unicum hoc necessariò requiri constat, ut effigies vultum faciemque rei, quàm maximè fieri potest, accuratè exhibeat, ut ab omnibus, quibus reus de facie notus est, ex effigie idem quoque cognosci possit, ne ipsa executio à janua aberret, & fini suo excidat, qui est, ut rei simul & pœnæ idioma atque idea in animis hominum insinuetur ac scenographicè delineetur. Quâ item materiâ constet effigies, nihil attinet sollicitum esse; unde sive propriè dicta pictura sit, in tabulis penicillo à pictore repræsentata, sive statua sit, eaque vel ex ligno, vel lapide, vel gypso, vel ce-

vel cera, vel compacta ac conglutinata, papyro, coloribus ac pigmento adornata, constet; imò stramineam Colinii effigiem in illius executione adhibitam, autor est Thuan. *l. 53.* dummodo talis, quæ præcisè ei executioni apta est, eligatur.

XIII.

Hæc E. executio in effigie est, qua criminum capitalium enormissimorum Rei aufugientis, (& se metu pœnæ judicio sistere non ausi, nihilominus causâ cognitâ, testibus probationibusque auditis, non secus ac si præsens esset, judicati atque condemnati) effigies ad eum modum tractatur à Carnifice, quali modo ipse reus præsens tractandus esset, & sic ipsam principalem pœnam præcisè, quæ reo per sententiam dictata, reducique certò expectanda est, omnium oculis exhibet atque exponit.

XIV.

Ea igitur executione licèt ipse reus corporis dolore non afficiatur, præcipuus tamen nihilosecius pœnarum finis obtinetur. Cùm enim in omni animadversione id videtur à natura decretum esse, ut non tantùm ejus, in quem peccatum est, atque ipsius peccantis, sed etiam indistinctè omnium ratio habeatur; universorum utique in nonnullis casibus potior cura est, ne illi, dum in delictis conspicuis supplicium conspicuum non sit, vehementissimâ peccandi illecebrâ, impunitatis spe ad similia vel deteriora prolabantur. Idque maximè urgent non modò Plato *in Gorgia*, & Taurus Philosophus apud *Gell. lib. 5. cap. 14.* Sed & Impp. Diocl. & Maxim. *in l. 7. C ad l. Fab de plagiar.* ut *pœna genere cæteri deterreri possint. quo minùs istiusmodi audaciâ quid tale audeant.* & Grat. Val. & Theod. *l. 1. C. ad L. Jul. repet.* Ut *unius pœna metus possit esse multorum*, & non minùs JCti, Tryphon. *l. 31. ff. Depos. malè meritus sit publicè exemplo aliis ad deterrenda maleficia.* & Marcian. *l. 6. de Cust. reor. vindicandum in exemplum.* & *l. 28. §. 15. de Pœn.* ut *conspectu deterreantur alii ab ejusmodi facinoribus.* Ulcus igitur, quod ex contagione illa maleficorum ad populum redundare potest, aspectu sanandum est, ut eadem lictoris acies non tam maleficorum corpora, quàm oculorum aciem intentæ plebis perstringat, crudelitasque exasperatæ pœnæ magis spectatori populo exhibeatur, quàm reo infligatur. At verò eadem ira legislatoris ac vindictæ ma-

ctæ magnitudo vulgo ſpectanti apparet, ſive in ipſa perſona, ſive in effigie, exhibeatur pœnæ ſeveritas; cùm, etſi in perſona fiat, non tamen ipſe dolor, ſed doloris imago duntaxat, ad præſentem populum deveniat, in ſpectantis animum penetret. Neque enim hic terrentur adſtantes ſenſu pœnæ, ſed imaginatione, quæ perinde concipitur atque mentibus imprimitur, ſive ſupplicium in ipſo corpore exerceatur, ſive in effigie, & ut ita dicam, in tabulis, delineetur. Pati enim pœnas eorum eſt, qui deliquerunt; at quorum delicta metuuntur, eorum eſt, patientis imaginem conſpectu animoque concipere. Quod Severus Romanis ſeverè oſtendit, cùm Albini devicti capite Romam miſſo & cruci affigi juſſo, literis ad populum ſcriptis ſubjecit: *ideò caput mitti publicè è cruce ſpectandum, ut ſimilem ſibi iram metuendam cognoſcant.* Herod. in. *Hiſtor. lib. 3. cap. 24.* Nec diſſimile de Urbano VI. Pontifice narrat *Collenutius:* qui ex ſeptem Cardinalibus, quos vinctos propter conſpirationem, adverſus ſe initam, ducebat, quinque in ſaccos immiſſos, ligatoſque in mare projecit, reliquos Genuæ, in judicio convictos, ſecuri necavit, eorumque corpora, in furno exſiccata, in ſarcinis inde juſſit aſſervari, & mulis impoſita, cùm peregrè proficiſcebatur, ante ſe illa cum purpureis pileis vehebat, ut Genuenſis ſupplicii ſpecimen Romani quoque haberent, & tragicâ illâ peremtorum equitum pompâ, tanquam vero exemplari, & ad vivum repræſentatâ ſupplicii imagine, tum cæteros Cardinales, tum omnes, aliquid adverſus ſe tentantes, dehortaretur. Piccard. *in memorab. lib. 4. cap. 6.* Sed nec nihil doloris ex hac executione metaphorica ad ipſum maleficum tranſit; præter enim conſcientiam ſceleris, tantam pœnam meriti, ac ſummam infamiam, quæ, uti à nullo juſto ſupplicio, ita nec ab hac ſupplicii imagine, abeſſe poteſt. *l. 7. ff. de Publ. iud.*; terrebit eum, ſi cogitet, omnium injuriis ſe expoſitum eſſe, ac licitè à quovis offendi poſſe; torquebit, ſi ruminetur, nuſquam ſe tutum, quo minùs vivus mortuusve capiatur ac ſiſtatur; excruciabit publici odii cogitatio, quod, dum in ipſo corpore expleri nequit, interim in effigie ſatiatur: aliæque acerbitates, quæ publica ſupplicia præter corporis dolorem, qui ſæpè minima pars ſupplicii eſt, comitari ſolent.

XV.

Ne temerè autem egiſſe arguamur, dum ſequentib⁹ ſeculis

hoc vindicavimus, ac pro posteriorum temporum invento venditavimus, si fortè apud priscos usus ejus deprehenderetur; oportet effigiati hujus supplicii cunas paulisper volvamus ac evolvamus, adeoque in veterum Tribunalia nos ingeramus. Quam tamen in rem non omnes pœnarum artifices, aut tormentorum architectos, scrutabimur: non tyrannorum officinas lustrabimus, aut quicquid aliàs monstri tot populorum decantata crudelitas excogitavit: sed pauca solùm delibasse sufficiet, ex quibus deprehendere licebit, tum initia ac quasi infantiam, tum, quibus adolevit, incrementa. Equidem vetustatis morem in his executionibus non posse ad normam præsentium exemplorum exigi, constat, utpote quorum imaginaria, ut ita dicam, conformitas imitatur præcisè, quantum potest, veram ac naturalem pœnam: cùm olim ut plurimùm tumultuariâ varietate magis, quàm certâ, fixâ ac perpetuâ judicii lege, peragi res soleat; in ipsis tamen his tumultibus haud obscura apparuere pœnarum, quæ ipsis personis irrogari solent, in imaginibus exhibitarum, vestigia. Quàm parùm enim supplicii in iis omissum, vel ex hoc saltem Plinii loco manifestum redditur *Paneg. Juvabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sævire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur. Nemo tam temperans gaudii seraque lætitiæ, quin instar ultionis videretur, cernere laceros artus, truncata membra, postremò truces horrendasque imagines abjectas excoctasque flammis, & ex illo terrore ac minis in usum hominum ac voluptates ignibus mutarentur.* Et dum illa odia, quæ corpori inferre destinaverat plebs, sed in statuas saltem evomere ex sua opinione illusa cogebatur, quantum fervoris voces, quantum furoris facta habuere, Lamprid. *in Commod.* commemorat: *Hostis patriæ, parricida, gladiator in spoliario lanietur &c. Hostis statuas undique, parricidæ statuas undique, gladiatoris statuas undique, gladiatoris ac parricidæ detrahamus.* Et sanè quid eorum, quibus in personas sævire solitum, in imaginibus neglectum? Cùm enim eò processerint, ut damnatorum corpora publicæ ignominiæ causâ in fœdissimas Gemonias præcipitarentur, illa quoque vindictæ species in imaginibus frequentari cœpit: ac dum Valer. M. *l. 6. c. 3. n. 3. Corpus,* ait, *detestanda Gemoniarum scalarum nota fœdavit;* annectit Tacit. *lib. 3. Ann. etiam effigies Pisonis in Gemonias traxisse.* Add. Tac. *l. 5. Ann.* Suet. *in Tib. c. 61.* & passim. Propiùs adhuc ad mores

res nostros accedit illud Taciti, quia non vago ac præpostero impetu plebis, (ubi cùm sententia non sit, inde nec erit executio) sed Senatûs judicio, cognitio suscepta & executio illic decreta est: Qui de Livia Augusta, jam antè fatis functa sub Tiberio, sic ait: *Roma quasi recens cognitis Liviæ flagitiis, ac non ita pridem etiam punitis, atroces sententiæ dicebantur in effigies quoque ac memoriam eius. lib.6. Annal.* Similitudinem tamen hic tantùm video, non identitatem: nec ex hisce usus indubitatò priscis asseritur. Quamvis enim utrumque hoc exemplum pœnam criminis exhibeat, & in altero ea ita imagini imposita fuerit, quasi *vivo homini, ac sanguis sequeretur*, in altero condemnatio quoque legitima præcesserit; in illo tamen ipsa vera executio deficiebat, in hoc infamia magis, quàm ipsum supplicium, versabatur; ac in utroq; adhuc ipsius supplicii verum atque exactum specimen desidero. Et hinc non minùs, *ut pœna principalis* executio sit, quàm ut *veri supplicii imaginem populo exhibeat*, præcedens sibi arrogavit definitio, quò integram exactè naturam non mutilatè referret, & quæ heterogenea, & alterius fori essent, excluderet.

XVI.

Sed pedem ferè cum voce referre cogor, cùm vetustissimis temporibus Artaxerxis Longimani Persarum Regis in reos animadvertendi consuetudinem intueor. Talem ille supplicii scenam aperuit. Quos fustibus cædi leges jusserunt, eorum candys flagellabatur; quos sententia capite damnaverat, iis tiaræ præcidebantur; quos judicium auribus mutilari voluerat, iis noduli ex galeris pendentes amputabantur. Quæ pœna cùm ipsi loco principalis fuerit, nec insuper meliùs capitis ac aurium syncopen ostendere quisquam potuerit, jam id temporis Artaxerxes iis omnibus, quæ in moderna executione efflagitavimus, egregiè satisfecisse videbitur. At propiùs si morem hunc introspiciamus, tantum abest, ut executionē hanc sapiat, quin potiùs abolitionem. Spectaculum enim ille Rex populo parabat clementiæ, non truculentiæ; veniæ, non noxæ; remissionis, non ultionis. Hinc illud Artaxerxis factum, tanquam clementiæ exemplū, introducit *Amm. Marcell.* quo Valentiniano ruborem incutere satagit: cui inter cætera vitia non semel crudelitatis notam inurit, quòd esset effusior ad nocendum, ut

nullum aliquando damnatorum capitis morte eriperet: *Cùm & Artaxerxes, Rex Persarum potentissimus, quem Macrochira nimis manus longitudo commemoravit, suppliciorum varietates, quas semper natio exercuit cruda, lenitate genuina castigans, Tiaras ad vicem capitum quibusdam noxiis amputarit, & ne secaret aures, more regio pro delictis ex galeris fila pendentia praeciderit, qua temperantia morum ita tolerabilem eum fecit & verecundum, ut adnitentibus cunctis multos ac mirabiles actus impleret.* Hactenus *Ammian. in lib. 30.* Quam Artaxerxis consuetudinem breviter perstringit ac laudat Plutarch. *in Apophthegm.* ac idem *de sera Numin. vindict.* candem allegat clementiam: in eo tamen à se dissentiens, quòd non uni Artaxerxi, sed publicis ac receptis Persarum moribus hoc tribuere videatur: Idemque alibi *in Apophthegm.* generalem morem indigitet. Barn. Briss. *lib. 2. reg. Pers.* Inde quoque est, quòd in nobilibus tantùm id factitatum fuisse, statuat Joh. Henr. Ursin. *in Acerr. Philol. lib. 3. n. 147.* Cùm enim in puniendis delictis omnia benè olim ac laudabiliter gesta pensitarentur, ut probat Barn. Briss. *d. loc.* certè, *beneficium*, ut verbis Senecae utar, *iniuriam apparere non patiebatur.* Ideò autem in ritu aggratiandi vestes percutiebantur, si conjecturis locus est, quia latam de capite sententiam, ne regi quidem revocare ac retractare licuisse, argumento est, quod Diod. Sicul. *lib. 14.* de Dario, Caridemum ad mortem duci jubente, refert. Hoc E. quasi excogitato colore sententiae satisfacere non minùs, quàm regalis veniae januam aperire voluerunt. Toto E. coelo ille Persarum mos à nostris moribus discrepavit. Illa enim consuetudo in aggratiatione locum invenit: nostra in executione; illa in benè merentibus: nostra in maleficis; illa in praesentibus: haec in absentibus; & quidem ut illi morti eriperentur: hi morti destinarentur; illa fiebat, ut tota sequeretur inde liberatio: haec, ut gravior instet corporalis executio: Imò nec illum Regem ritè hac ratione poenae praelusisse statuo, si nec illud, quod agebatur, vera poena esset, quam populo exhibere meditabatur, nec inposterum quoque ulla alia sequeretur; poenae enim praelusio ac typus non est, quem poena nulla regulariter sequitur.

XVII.

Posteritati tamen nihil expeditiùs fuit, quàm, his suppo-

ſitis quaſi gradibus ad hanc executionem devenire. Cùm enim videret illa primò in ſtatuis ac imaginibus ſuis perſonas ipſas honore ac dedecore affectas, *theſ. 7.*; mox quoque perſpiceret pœnas in ſtatuas ſtatutas, dejectas dilaceratasque eas, vel eum in finem, ne memoria, quæ hoc modo conſervabatur, exſtaret, *theſ. 8. 9. & ſeq.*, vel quia in ipſa corpora ſæviendi ampliùs animadvertendique copia non erat. *theſ. 13.*; pòſt obſervaret, ut odium in ſcelera exprimi atque publicè exhiberi poſſet, ex viventium quoque, in ſcenam introductorum, veſtibus, ad eum modum, quo reus plectendus erat, ſupplicium ſumi. *theſ. 16.*; demum verò animadverteret, ipſa reorum, morte affectorum, corpora ac cadavera in Theatrum adduci ad gravitatem vindictæ indicandam, aliisque manifeſtum terrorem incuciendum, *theſ. 14.* ſponte exinde hæc executio traduci potuit, pleneque compoſita eſt in effigiem exequendi ratio, quæ naturalis ſupplicii modum ac formam, quàm fieri poteſt, exactiſſimè refert, nec non ſolenni judicio cœpto, conſtituto proceſſu, ordine actâ causâ, pronunciatâ ſententiâ condemnatoriâ, pœnam certis legib⁹, pro modo delictorum, ſtatutam, non nudam ſaltem infamiam, ipſis abſentibus in imagine applicat.

XVIII.

En executionis noſtræ incunabula, & vix incunabula! tanta enim rudium adhuc lineamentorum imbecillitas in hoc embryone deprehenditur, ut exinde nondum ulla fœtus noſtri concipiendi, nedum formandi, ratio appareat: Dum igitur ei lambendo operam damus, idque agimus, ut minori cum dedecore in publicum exponatur, indolesque penitiſſimè cognoſcatur; compendiariâ incedentibus viâ expeditè occurrit, illud palmariũ in hoc negotio eſſe: **Ut tale præciſè crimen reperiatur, cujus executio in tantũ maturari meruit, ut etiam contra abſentes procedi in ipſa cauſa poſſit, adeoq; debita ei facinori pœna tã moræ omnis impatiens ſit, ut in ipſos, longè abſentes, ſecures expediri velit, né qua ulla impunitatis ſpes aut effugii ratio affulgeat.** Quod itaque executioni noſtræ fundamenti loco ſubſternimus. Si enim tanti refert, ejuſmodi crimen publicè vindicari ac executioni dari, ut abſentibus quoque reis ad cognitionem cauſæ principalis procedi, invitâ juris ratione, receptum ſit; utiq; meritò exactionem hujus criminis, dum reus

præsens non est, in effigie saltem ejus fieri, analogiæ juris conveniens est, ut ita admirando invento & *non præsentes præsentissimis suppliciis mactentur.* Non enim hîc indulgetur executio, nè sententia frustretur; sed nè retardetur executio, sententia contra consuetum ordinem promovetur. Ex hoc fonte requisita executionis felicissimè deducuntur. Sunt autem sequentia.

XIX.

I. Ut cognitio criminis contra absentes procedere possit: cujus propositi veritas adeò incurrit omnium oculos, ut nullius dissensum admittat. Quæ enim executio esset sine sententia? quæ sententia sine perpetrati criminis legitimè suscepta cognitione? Quemadmodum ergò ab executione non incipitur; ita & hîc id tentare velle, satis absonum esset: &, sicut in omni causa controversa cognitio per se necessaria est, nec omitti potest; ita & executio in absentem cognitionem, in absentem factam, prærequirit. Ille autem processus contra absentes commodissima ratione recipi potuit, atque etiam à legibus receptus est in illis criminibus, in quibus non tam absentium, quàm præsentium ratio curaque habetur, quæque non tam eorum causa, qui deliquerunt, quàm quorum delicta futura metuuntur, vindicari consueverunt. In his itaque reorum præsentia, ad malitiam eorum debitè detegendam puniendamque, tanti non est, quanti est cæterorum civium præsentia, ad terrorem iis, publicatâ tanti supplicii sententiâ, incutiendum. Ad quæ criminum genera Taurus Philosophus, sine dubio quoque respexit, dum quædam delicta ob solum exemplum puniri statuit. Vid. Gell. *l. 5. cap. 14.* qui tamen, cùm exemplum solitarium pœnarum finem, quàm primarium, in hisce delictis ponere maluerit, ab aliis notatur: rectiorque Senecæ sententia, qui ejusmodi delicta primariò plectenda esse monet propter exemplum, secundariò propter malitiam rei: *Non tam ut ipsi*, sc. rei, *pereant, quàm ut alios pereundo deterreant.* Cui assentitur Quintilianus, *Pœna non tàm ad delictum pertinet, quàm ad exemplum.* Quod si ergò in talium criminum animadversione cæterorum prolixior, quàm ipsius Rei, cura est, pœnaque eò maximè dirigitur, ut publicè prostet meriti supplicii memoria atque exemplum; ac proptereà non obstante rei absentia nihilominus persecutio criminis suscipi atque maturari oportet; multò sanè certiùs perfectiùs-

que

que propositus hic scopus obtinetur, intentionique splendidiùs satisfit, si ipsum supplicium in imagine repræsentetur, quàm si nuda sententia pronuncietur. Sententiâ enim tantus terror aliis non injicitur, quantum ipsa executio producit, vehementiusque movet præsens supplicii actus, ipsisque oculis exhibita per carnificem pœnæ severitas, quàm sola judicis condemnatio: quæ si in absentem conceptis verbis fulminaret solùm, nec præsentium quoque animos oculosq; vellicaret, hæc pœni omnis principe suo effectu revera destitueretur; ut itaq; in criminib⁹, quæ hujus naturę sunt, utilissimè memorabile hoc executionis in effigie inventum succurrat. Equidem in omnibus criminibus gravioribus exemplum aliquo modo intenditur, sed non pari modo. Quorundam enim *maior ratio posita in exemplo*, *minor in vindicta*; quorundam *maior in vindicta*, *minor in exemplo*: *Illa* esse puto, quæ remp. immediatè offendunt, *hæc* quæ præcipuè privatos. Cùm enim illis salus securitasque publica directè impetatur, eo imprimis fine illa vindicantur, ut vindictæ atrocitate alii à similibus ausis deterreâtur, & ita resp. securitati suæ inposterum metuere necesse non habeat. Adde Alex. ab Alex. *lib. 3. cap. 5.* Id quod intento velut digito ostendit *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Mai.* Ubi filios ideò pœnam illius legis pati debuisse dicitur, quia in iis paterni *criminis exempla* metuuntur: ita in eodem crimine ædes quoque, in quibus conspiratio inita, diruũtur, non aliam ob causam, quàm ob exemplum. Vid. Val. Max. *lib. 6. cap. 3.* Metus itaque aliorum est, qui hîc ante omnia reprimitur. Vindictam autem in his primariò spectari non posse, evidens est: nam læsioni vindicta adæquatè respondere, & pro modulo delicti præcisè punitionis modus statui debet, tantumque reo doloris infligitur, quantum ipse aliis fecit, ita ut sanguis sanguine, mors morte, redimatur: non quidem ex stulta & jam pridem explosa Pythagoricæ talionis lege, sed ex justa æqualique, curiosè circumstantiarũ pondera discutientis ac examinantis judicis, admensuratione. At verò nulla proportio est inter id damnum, quod reip. illatum, quo illa in extremum discrimen adducitur, ac inter pœnam rei, etsi ille hoc delictũ capite luat, ac multò faciliùs, credo, quadratura ad circulum proportionaretur, quàm illa vindicta huic injuriæ. Unde non malè dictum, læsæ Maj. reis ac proditoribus mitiorem

rem semper pœnam dictari: quoniam tanta nunquam est, quia, ut major sit, non repugnet. In privatorum autem offensionibus vindicta præcipuè obtinet; nam illic delictorum conveniens mensura haberi, parique gravitate, quâ commissa sunt, flagitia exsolvi posse, extra dubium est: nec illic, quemadmodum in superiorib⁹, tanta diversitas: quia quæ in privatis delinquuntur, in privatis debitè expiantur. Utramque hanc in utraque specie rationem, ex jure naturali petitam, legũ civilium consensus illustrat, quæ, ubi de talib⁹ agunt, dicunt *l.31. ad L.C.Fals. pœnam constitui pro mensura delicti. add. l.41. ff. Pœn. l.11. eod. l.138. §.1. R.J.* Nec minùs Jus Canon. *in c.5. de Pœn. in 6. Judex pœnam metiatur ex culpa; secundum quod excessus exegerit, vindicta procedat. &c. Proportionetur pœna delicto, vindicta ex æquo respondenti.* Ut hîc verò vindicta malitię rigidiùs, ita exemplũ remissiùs, inspicitur; Vel quia privatis in tantum prospicere de futuris periculis opus non erat, quantam resp. suæ ipsius salutis, in qua & privatorum salus omnis inclusa continetur, curam gerere debebat, quòd in tempore adhuc iis succurrere possit, sibi in hisce periculis non possit; vel cùm directò hîc privati potiùs lædãtur, & non resp., nisi consequenter, quatenus scil. id agitur, quòd legibus publicis prohibitum est, ideò fortè ea similiter primariò intendit *vindictam*, ut illâ malitia rei coërceatur, ac ipse reus emendetur. *add. l.20. ff. de Pœn.*; per obliquum verò *exemplum*, ut eâ animadversione alios legibus obedire, ac à facinoribus desistere, cogat: adeoque quanti sua interest, ac in quantum contra se peccatum est in his privatorum injuriis, quo solet se resp. tueri, *exemplo* vindicat, indeque hoc secundariò fit; quantum verò ad privatos, *vindictam* ipsam, quam usurpare in ea causa solet, respicit: quæ, quia in illos primariò peccatum est, etiam primaria est. Quo sensu ad hæc, in privatos commissa, facinora apprimè Impp. Arcad. & Hon. *l.22. C. de Pœn. nonulterius progrediatur metus, quàm reperiatur delictum:* cùm de aliis illis communiter dici soleat: *pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat.* Quæ ideò non disputo, quasi minor sit malitia ejus, qui publicam salutem ac tranquillitatem perturbat, quàm qui privatorum hominum; quia non tam illius, quàm hujus, malitiam in pœnarum irrogatione spectari dictum est. Enimverò eum, qui statum publicum convellere nititur, reip. se opponendo

do, in omnes omninò leges peccasse, certum est, egregieque hoc Hobbes. *de Civ. cap. 14. num. 20.*: sed illud solùm statuo, maximam omninò malitiam, maximum crimen eorum esse, qui remp. labefactare satagunt, hocque gravius esse, quàm cœtera; sed tamen etiam in tanta criminis magnitudine ac ultionis fervore exemplum plus valere, quàm pœnam. In his itaque causis, in quibus ipsius rei malitia potissimùm vindicatur, repellitur atque emendatur, vindicta ac ultio primariò requiritur: quod fit doloris sensu: *quia pœnam meruit*. Indeq;, ut præsens sit, necesse est, absentiâque pœna intercidit. In cæteris potissimùm metuenda ejusmodi facinora reprimuntur, adeoque severioris supplicii conspectu præprimis opus est, ut similis conatus averruncetur: *quia ille pœnam nondum meruit:* Ille autem supplicii conspectus etiam absente reo, priùs per sententiam peracti judicii damnato, in effigie perinde repræsentari potest, quàm in ipso corpore. *th. 14.*

XX.

At quorsum non solùm in absentes, sed &, quod magis est, in mortuos hoc supplicii genus exerceri videmus? Nam majus hîc obstaculum juris civilis cernitur. Sed & prægnans illa ratio, ei removendo par fuit. Quanti enim interfuit hoc crimen propter absentiam non differri, tanti quoque erat, propter mortem non auferri. Etenim cùm in criminibus, privatorum odia læsionesque concernentibus, primariò quoque spectetur malitiæ delinquentium vindicatio; nec illi, *qui similiter peccare possent*, nisi secundariò, veniant. Hinc cessante ipsâ reorum malitiâ, quam cum animo, cui adhæsit, exspirasse, vel si maximè existeret, tamen dolore corporis, quem illud cum anima amisit, jam ampliùs expiari non posse, constat: sequitur, quòd cum pœna intereat exemplum; cum principali id, quod minus est; adeoque inconvenienter in imagine exhibeatur id delictum, quod ampliùs non est. At in illis excessibus, ubi publica incolumitas in discrimen adducitur, longè aliud. Nam illic tentari posset, absentem quasi præsentem esse, & mortuum pro eo haberi, quasi mortuus non sit: ne pereat vindicta publica, sed commune odium quoquo modo expietur; aut si prioribus insistere allubuerit, quia hîc *maior ratio exempli est, quàm pœna*; nec ipsum delictum in peccante adeò exacerbari meretur,

qui ampliùs metui nequit: cùm mortuus sit, quàm eorum contéplatione, in quibus ejusdem sceleris vestigia reperiuntur. Quoniam vulgus hominum, quod vulnus alit venis, præsenti hoc carpitur actu; Quid E. refert, si cessaret id, quod minùs intenditur, manente adhuc eo, quod magis quæritur? Hinc in his contra mortuum audacter proceditur, ac sententia fertur. Huc facit illud, quod, Homero, Æschylo, Sophocli, Moschioni *mortuos non sentire, monentibus, quare nec damno, nec pudore afficiendos esse*, scitè reponit Grotius, *Satis esse, id, quod mortuis accidit, à vivis metui, ut hoc pacto illi à peccato retrahantur. de J. B. & P. lib. 2. cap. 19. n. 5.* Sitque adhuc, quod ipsis mortuis doleát, etsi non doleant. Non leviter autem vivos executionis in mortuos exemplo, vel in ipsis corporibus, vel in effigie proposito, deterreri, Tarquinius Priscus inter alios docuit. Quiritibus enim conscita nece passim tædium operis (loquitur autem Plinius de structura Prisci, quam plebis manibus fecit) fugientibus, novum remedium invenit ille Rex, ut omnium, ita defunctorum, figeret crucibus corpora spectanda civibus, simul & feris volucribusque laceranda: sic ergò de eo successu pergit Plin. *lib. 36. cap. 15. Quamobrem pudor Romani nominis proprius, qui sæpè resperditas servavit in præliis, tunc quoque subvenit, sed illo tempore imposuit, tum erubescens, cùm puderet vivos, tanquam puditurum esset, exstinctos.* Vim tamen ejus nimis Africæ quædam gens produxit: ut idem Plin. *lib. 8. cap. 16.* refert ex Polybio Æmiliani comite, qui asserit, Leones Africæ urbes quasdam obsedisse, eaque de causa crucifixos se vidisse cum Scipione, quia cæteri absterrerentur eâdem noxâ.

XXI.

In veterum illa accessoria executione primùm hoc requisitum immotè summâ convenientiâ, semper observatum est. Nam per eam memoria rei damnabatur: damnatio autem nulla erat, nisi sententia præcessisset, adeoque evidens fit, judicium causæque cognitionem præcedere oportuisse. Idque Historici variè annotant: indeque & vulgi illos tumultus rejicimus, nec in veteris quidem executionis censum numeramus Non autem principalis, sed accessoria demum hæc statuarum dejectio fuit. Cùm enim ex aliquo crimine, quod cum summa infamia memoriæ abolitionem inferebat, damnabatur reus, necessariò

sariò sequebatur, monumenta illa servari non posse, sed confringi dejicique debere; statuis enim illis imaginibusque gloria memoriaque ejus conservabatur, cujus æternandæ gratiâ erectæ erant. *th.2.8.9.* Hæc autem crimina, quæ memoriæ damnatione ac exstirpatione antiquitùs puniri solebant, executionemq; veterem recepére, eadem sunt, quæ nostris quoque temporibus fictitiam executionem merentur, scil. quæ in rempublic. committuntur. Quod expressè constitutum. in *l.24.ff. de Pæn. qui ex causa Maj. damnati sunt, eorum statuas detrahendas scire debemus.* Imò, ut hodie in absentes etiam damnationis sententia vibratur in talibus causis, ita & olim: sicut ex causis Catilinariis discimus. *add.th.25.inf.* Tandem, ut nostram executionem judiciumque de ea, morte non exstingui dixi: ita etiam apud veteres crimen & illam deturbationem statuarum morte non expirasse, testis est Tacitus, qui de Liviâ, *jam fatis functâ, Atroces sententiæ in effigies ac memoriam eius dicebantur.* Ita Domitiani *defuncti imaginem ac memoriam delendam senatum decrevisse,* refert Suet. *in Dom. c. ult.* Ita Neronis aliorumque Impp. statuæ post mortem decreto senatus eversæ sunt.

XXII.

II. Ut reus actu absens vel mortuus sit. Etsi n. crimen hujusmodi etiam in absentes vindicetur, si tamen præsens capi possit, in ipsum corpus, non verò in imaginem sententia converti ac executione consummari debet. Quo quid probatu facilius? 1. Non enim ad extraordinariam & imaginariam executionem confugiendum, quando veræ ac ordinariæ locus esse potest. arg. *l. 16. pr. ff. de Minor. l. 14. §. 2. ff. Quod met. caus. l. 7. pr. & passim. ff. de dol. mal.* Esse autem hanc executionis speciem extraordinariam, nemo inficias ibit, cùm utique regulariter & ordinariè executiones in ipsas personas, quæ deliquerunt, peragantur. Et hinc est, quòd in formulis sententiarum alternatim pœna concipi soleat; ut, si capi possit reus, ipsi personæ; sin minùs, tunc demum imagini executio pœnæ inferatur. 2. Cùm capitalis hîc quæstio sit, & de ultimo supplicio infligendo agatur, reus utique, si præsens capi possit, morte naturali affici debet; ultimum enim supplicium mortem continet. *l. 21. ff. de Pæn.* quæ sola pro summo supplicio. *l.28.pr.ff.Pæn.* pro extrema *l.5. C. Th. de Off. rect. prov.* & pro ultima pœna habetur. Suet. *in*

Jul. Liv. *l. 3.* Plin. *2. epist.* Apulej. *l. 10.* Conf. Cuj. *lib. 3. Obs. 36.* Nec Obst. *l. 2. publ. jud.* In effigie E. demum fit executio, si absens vel mortuus reus fuerit, ut haberi copia ejus nequeat. Quam practicam exinde quoque probant Gomes. *var. resol. cap. 1. num. 79.* Zœs. *ad ff. de Procur. num 6.* Wiss. *ad ff. de reis vel abs. num. 5.* & alii. Adde Imbert. *3. Instit. forens. 3.* Christinæ *ad consuet. Mechlin. tit. 2. art. 25.* Bugnyom. *in leg. abrog.* Gudel. *in iur. Nov. lib. 5. c. 14.* Damhoud. *prax. crim. cap. 28.*

XXIII.

Addendum *III.* Executionem in effigie fieri non posse, nisi *in pœna ultimi supplicii seu mortis naturalis.* Deportationes enim, banna, aquæ & ignis interdictiones, damnationes ad metallum, imò etiam ad bestias fortè, (& si ea capitalis sit,) in opus publicum, relegationes in insulam, exilia, & si quæ alia sunt, vix ac ne vix in imagine præludere possemus, aut sine cachinno vellemus. Fustigatio autem quanquam in statuis quodammodo repræsentari, & virgæ flagellaque in simulacra stringi possent: attamen ut in hac, ita in superioribus pœnæ ipsius exactio tanti habita non est, ut in statuis eam exhiberi par fuerit, nec ea crimina, quibus hæ pœnæ expediuntur, cùm leviora sint, tantis odiis prosequi solet respub., ut vicariâ pœnâ in statuis interim satiari necesse sit, maximè cùm hac ratione summum supplicium in imagine evilesceret. Neronem quidem, ut cæteroquin omnis crudelitatis, ita & hujus exemplum præbuisse, sed exorbitans, imò planè ridiculum, invenio apud Xiphilin. *in epitom. Dion. in Neron.* Cùm nempè ille non minor Musicus, quàm Imperator, videri vellet, Pammenem Citharædum, qui jam fuit Caji temporibus, licèt jam senectute confectum, emeritum ac rude donãdnm, tremulantem nervis potiùs, quàm chordis, *certare coëgit, ut victor statuas eius contumeliosè verberibus caderet, ac flagris dilaceraret.* Hoc E. tertium requisitum non minùs, quàm cætera, necessitatem sui involvit. Ex eo itaque hoc ipsum inferre licet: si crimen illud, quod aliàs capax est hujus effigiati supplicii, ex quibusdam circumstantiis diminuentibus decreverit, mitigatumque sit, ut mors inferenda reo nõ sit, sed deportatio, vel similis pœna sufficiat, tacitè hanc executionem in effigie excludi. v.g. si ex læs. Maj. crimine quis deportetur, ut *l. 24. ff. de Pan.* quod aliàs in imagine exigi poterat.

XXIV

XXIV.

Hæc requiſita formam hujus executionis eſſentiamque omni definitione integriùs clariùſque exhibebunt. Ea enim omnis executionis conditio eſt, ut, ſicut in civilibus ex actione ipſa, ita in criminalibus ex natura ipſius delicti latæque ſententiæ, cujus fit executio, temperetur. Cujusvis enim delicti atrocitas propriam executionem meretur: quæ pro qualitate cujuſque admiſſi mitigari exaſperarique debet. *arg. l. 41. ff. de Pæn. l. 131. in fin. V. S.* Igitur & noſtra executionis ſpecies criminum naturam, in quibus fit, ſequi tenetur; & proinde ex horum qualitate ac conditione omnis illius ratio, natura effectuſque in ſpecie dignoſcuntur. Hinc perſequendis iis aliquantò ſtudioſiùs inhærendum nobis erit, ea crimina inquirentibus, quæ debitâ hâc executione coërcentur, eorum maleficorũ manipulum ac coronam ſiſtendo, quorum ſcelus hoc modo coronari conſuevit; cùm executio hæc intelligi plenè, tractarique nequeat, niſi priùs crimina ſub examen vocentur, omniſque exequendi ratio ex delinquendi cauſa dependeat.

XXV.

Ut igitur præciſè ſciamus, quando reum imaginario hoc ſupplicio affici juſta Nemeſis velit, promovendus gradus ex ratione *theſ. 19.*, inquirendumque, quando abſentem vel mortuum in cauſa principali damnari jubeat. Et generaliter puto definiendum, in criminibus capitalibus quoad ipſam cauſam principalem, abſentem damnari non poſſe. Et quidem abſentem ſimpliciter, ſive ante litem conteſtatam, ſive poſt eam, damnandum non eſſe, oſtenditur locis expreſſis *in l. 6. C. de Accuſ. l. 1. §. 1. ff. de req. vel abſ. l. 5. pr. ff. de Pæn. l. 1. verſ. ſin autem, An per al. cauſ. app. l. 15. C. de Adult.* Idemque etiam de jure Canon. *cap. 9. & tot. quæſt. 9. III.* Et hanc communem teſtantur ac ſequuntur Bald. Clar. *ſent. recept. lib. 5. §. fin. quæſt. 44. n. 2.* Gomeſ. *ad l. Taur. 76. n. 1.* Salicet. *ad l. Abſentes C. de accuſ. num. 5.* Quod confirmat Julianus apud Ammianum *lib. 18. Ecquis,* inquit, *innocens eſſe poterit, ſi accuſare tantùm ſufficiat,* reo nempe nondum audito ac in os convicto. Et Feſtus *in Act. c. 25. verſ. 16. Morem Romanorum non eſſe, quenquam ſupplicio dare, priuſquam reus præſentes habeat accuſatores, & locum defenſioni accipiat*

 ſuper

ſuper criminatione: ut inde ſcil. pleniſſimè judici de crimine poſſit conſtare, de quo lacrymatur Ovid.

Cur reus infelix abſens agor, & mea cùm ſit
Optima, non ullo cauſa tuente perit?

Et Senecæ in Medea de tali judicio, ubi abſens damnatur, hoc judicium eſt: *Eum, qui ſtatuit aliquid, parte inauditâ alterâ, æquum licèt ſtatuat, haud tamen æquum eſſe.* Gail. *l. 1. PP. cap. 5. num. 1.* Malè E. *Jacob. de Aren.*, qui poſt cauſæ liquidationem condemnari poſſe abſentem, putat: quem ex relata communi opinione Dd. ac Baldi refellit Clarus *dict. loc.* fruſtraque diſtinctione quadam defendit Bajardus *in add. ad Clar. d. l. num. 4.*, quia illic poſt liquidationem multa adhuc venire poſſunt, quæ rei præſentiam deſiderant. Nec rectè alii poſt litem conteſtatam id fieri poſſe autumant. Vid. Clar. *d. loc.* Zœſ. *ad ff. de procur. num. 5.* Brunnem. *Proc. inquiſ. cap. 8. membr. 6. n. 10.* Hillig. ad Donell. *lib. 18. c. 10. lit. E.* Cùm enim nulla lege præciſè poſt litem conteſtatam abſentes damnari poſſe ſtatutum reperiamus, meritò ll. generaliter ac ſimpliciter jubentibus, abſentes in criminibus capitalibus quoad ipſam principalem cauſam damnandos non eſſe, inſiſtimus. Etſi enim inter reos recipi poſt litem conteſtatam abſens queat. *l. 13. C. de Adult.*, non tamen in cauſa principali procedi, & ſententia ferri poteſt; cùm toto cœlo differant recipi inter reos, & in cauſa criminis condemnari. Imò, poſt litem conteſtatam in ipſa cauſa non procedi, præter generalitatem ll., videtur quoque evincere (1) *l. 1. ff. pr. de Req. vel abſ.* ubi prohibetur damnatio, *niſi præſentis cauſa audita ſit*, & promiſcuè ibi ſumitur *abſentem eſſe* & non *auditum eſſe*. Auditur autem cauſa à judice auditis utriuſque partis argumentis, probationibus, teſtibus, ut inde ſententia vel condemnationis vel abſolutionis ferri poſſit: Eouſque E. ut reus præſens ſit, neceſſe eſt. Hoc verò litis conteſtatione non perficitur, quæ nudam ſaltem reorum contradictionem, nihil probationis continet. (2) Quòd omnes rationes, quæ abſentes damnari vetant, eâdem vi ſtringant ac militent in caſibus poſt litem conteſtatam, quàm ante litis conteſtationem. Juvat nonnihil (3) *l. 10. ff. de Publ. Judic.* ubi cognitione ſuſcepta tantùm excuſatio abſentiæ admittitur, nè indè vel reus abſentiæ, vel accuſator calumniæ damnetur, ut notum *ex SCt.*

Turpill.

Turpill. Si verò damnari reus in ipso crimine posset, admitteretur non tam excusatio absentiæ, quàm argumenta ad causam ipsam instruendam. ut & *l. 13. ff. de Pub. Jud.* quæ de persecutione criminis cœptoque judicio intelligi potest, dicitque absentes non defendi, sed excusari, & si excusationis causa justa sit, sententiam differri. Non E. defendi absentes, sed excusari dicuntur: quia scil. defensio causæ cognitionem habet, quæ in absentes omninò prohibita est; excusatio verò saltem absentiæ rationem inquirit: Et dum sententiam differendam esse dicit, eam intelligit, quæ de contumacia concepta erat, si nempe absentiæ causa justa non esset; non verò quæ de causa principali aliquid definiret, ubi merita ipsius causæ, non absentiæ, considerantur. Denique (4) satis evidenter probatur ex *l. 11. §. 2. ff. de Adult.* ubi dicitur: adulteram, inter reos receptam, defendi absentem non posse. Atqui absurdissimum esset, eam condemnari, & tamen non defendi. Quicunque enim absentes damnari possunt, illi & defendi possunt. *l. 33. §. 2. ff. de Proc.* Hinc quia absentes de contumacia damnare licet, etiam de contumacia defenduntur, quod fit causæ allegatione. Illa E. verba *in d. l. defendi absentem non posse:* hunc sensum habere videntur: quòd *causa non defendi*, id est: *planè non agi, aut in judicium non venire possit.* Post litem ergò contestatam absentes inter reos recipi solebant. *l. 13. C. adult.* sed tamen illi recepti damnari non poterant. Quòd autem absens inceptâ accusatione inter reos recipiatur, multos habet effectus in SCto Turpill., transactionibus: item, quòd reus talis alium accusare non possit, nisi se purgaverit. *l. 1. C. de his qui accus. l. 5. pr. ff. de Pub. Jud.*, quòd non possit ex alia lege reus fieri. *l. 14. eod.* quòd transeat ad heredes accusatio *l. 20. eod. & simil.* Et hanc sententiã Ciceronis juris scientissimi calculo quoq; firmamus, qui Cajum Verrem accusavit. *lib. de Jurisdict. Sicil.*, quòd Sthenium Thermitanum absentem inter reos recepisset, capitalis criminis postulatum: Quamvis non ignorem C. Verris patrem, aliosque amicos, Romæ contendisse, id licitum fuisse: etsi lis nunquam cum præsente instituta fuisset: quos, quicquid corradi potuit, conquirere, quàm defensionem deserere maluisse, probabile est: Ut Scipioni Gentili non succenseam, qui ea propter *in disp. ad legem Clod. th. 56.* Tullium inscitiæ, ac quòd falsò & accusatorio

rio more, non de jure, Verrem accusasset, insimulat: Marcios citatos ac comparere recusantes à Tullio Rege damnatos fuisse, refert Halicarn. *lib.4.* Sed hoc ad eam juris epocham refero, ubi adhuc *sine certa lege, sine iure certo, populus agere instituit, paucissimisque solùm legibus, quas curiatas vocarunt, contentus erat, ac omnia manu à regibus gubernabantur*, ut loquitur Pompon. *in l 2. §. 1. de O. I.* Quod autem idem Scipio *thes. 61.* evincere contendit, *non improbandum eum morem, ut sententia in absentem citatum feratur, & si capiatur, capite multetur, idque in veteri republ. obtinuisse, & in causa Catilinaria observatum fuisse, se scire, asserit*, plenis manibus ei concedo: quin etiam mihi arripio, dummodo in Catilinariis similiumque reipubl. perturbatorum causis subsistamus; nec id ad quasvis protrahamus. In his enim gravissimis negotiis hunc absentium processum singulariter receptum semperque adhibitum fuisse, uti de pristinis Veterum Romanorum temporibus hic locus evidentissimè testatur: ita de nostris seculis ex jure noviori infra demonstrabimus. *thes. 33. & seq.* Sic & Postumius Pyrgensis absens damnatus legitur apud Liv. *lib. 25.*; plebs enim, dum non affuit, ita scivit; *Si M. Postumius ante Calendas Maias non prodisset, citatusque eo die non respondisset, neque excusatus esset; videri eum in exilio esse, bonaque eius venire, ipsi aqua & igni interdici*; Sed quia læsæ reipubl. accusatus, optimè ea, quæ diximus, præsens locus confirmat: *Suffragium enim eum populo per vim extorsisse, concilium plebis sustulisse, tribunos in ordinem coegisse, contra Populum Rom. aciem introduxisse, locum occupasse &c.* idem refert *dict. l.*; ut inde nondum inferri possit, absentes generaliter in quibusvis criminibus condemnatos fuisse. Junge Ræward. *coniect. l. 1. c. 19.*

XXVI.

Cui sententiæ non obstant *l. 15. §. 1. & seq. ff. de Adult. l. 11. pr. & § 1. ff. de Accus* in quibus agitur de privilegio de non accusando, quod inter alios habent illi, qui reipubl. causa absunt. Hi enim nec de ullo crimine, nec de contumacia damnari possunt, sed sive cœpta lis fuerit per contestationem ejus, sive nondum, penitùs utrobique ab adversariorum accusationibus immunes sunt, nec inter reos ullatenus referri, imò ne deferri quidem, possunt: Non verò tractant hæ leges de iis, qui propter

solam

solam absentiam accusari nequeunt in causa principali capitalium criminum, atque ita planè huc non pertinent, nec Cujacio pariunt patrocinium. Vid. Cujac. *lib. 20. obs. 21.* Qua in re Ciceronis, viri sat perspicacis ac vigilantis animi, lapsum omnes boni doluere, qui legationem, dum sibi à Cæsare oblatam honestissimè accipere poterat, repudiavit, callidâ Clodii accusatoris simulatione illusus, qui, id metuēs, humanissimè de eo loqui cœperat, ut est apud Plutarch. Dolabellæ autem, de quo Cicero in *pratur. Sicil.* aut Messii, de quo idem *ad Attic.* exempla movere nos non debent; illius enim damnatio rescissa est: hic, à legatione tantùm revocatus, edicto Servilii Prætoris, à Cicerone deinde defensus fuit. *Nec obst.* (2) *l. 15. C. de Adult.* Illic enim reus præsens est, sed actor, totâ ferè lite peractâ demum, absens, idque ex justa causa. Salicet. ad *dict. l. Nec* (3) *c. 4. x. de dol. & Cont.* Agitur enim illic de pœna excommunicationis, & quæ ei cohærent, remotione à clericatu ac suspensione, &c. add. Cuj. *ad d. cap.* in qua hoc speciale, quòd in absentes quoq; exerceatur. *c. 7. de haret. in 6.* *Nec* (4) Quòd reo absenti sua mora & contumacia nocere debeat. *l. 173. §. 3. R. J. c. 25. eod. in 6.* Resp. nocet nimir., ut is contumax habeatur, non, ut in causa condemnatus. Proceditur E. tantùm hoc in passu in contumaciam, non, ut in causa principali, & ipsius intentati criminis, condemnetur, eique pœna, legibus statuta, irrogetur. *d. l. 5. & aliis supra citat.*

XXVII.

Constitutionis hujus duplex vulgò affertur ratio. 1. Quòd sententia aliàs esset illusoria. 2. Quòd reus absens videatur indefensus. *l. 5. ff. de Pœn. l. 1. ff. de req. vel abs.*; quam posteriorem, rejectâ priore, probat Gomes. *ad l. Taur. 76. num. 3.* cùm tamen hujus rationis generalitas ad absentes reos in civilibus se quoque extenderet, eosque à condemnatione in ipsa causa, cui leges expressè contradicunt, liberaret; cùm nemo indefensus damnari debeat. Ita E. supplendus est rationis ejus defectus. Cùm in capitalibus criminibus requirantur probationes clarissimæ ac indubitatæ, adeò, ut propria quoque rei confessio evidentiâ earum extorqueatur, aut si contumaciter nolit, per torturam ad id cogatur. *l. fin. C. de probat. l. 16. C. de pœn. l. 10. §. 1. de Quæst.* Ord. Carol. *art. 9. 10. 16. 38. 69. & passim.* hauriri tanta certitu-

titudo nequit reo absente & nondum audito neque convicto, cùm, si audiretur, forsan defensionem paratam haberet, quæ, si non ab omni pœna, saltem à tanta ejus severitate ipsum liberare posset; adeoque in tanti præjudicii crimine satius omninò est, dimitti sontem, quàm insontem damnari. *l. 5. pr. ff. de pœn. & pass.* Non ita in levioribus delictis, in quibus nec tantam præcisè evidentiam, ut cum ipsa meridiana luce certent probationes, leges efflagitant, nec propriæ confessionis necessitatem, multò minùs fidicularum ope eliciendam, exposcunt. idque hic sufficit, si legitimè solùm ab adversa parte delictum probetur. Etenim, cùm illud delictum, quod per contumaciam absens commisit, propè par sit ipsi principali, nec ipsa animadversio tantum afferat momenti ac præjudicij, utpote, quæ ad pecuniam vel infamiam dirigitur, quæ restitui possunt, non ad caput aut simile, cujus amissio irreparabilis. *d. l. 1. an per al. caus. app. l. 33. §. 2. Procur. d. l. 5. de Pœn. l. 1. req. & abs. l. 1. & seq. quon. & quand. iud. sent.*: in iis admissum est, ut qui legitimè citatus autoritatem judicis contumaciter ac improbè contemnit, quoad causam principalem damnari possit: adeò, ut in hoc tractatu absens non putetur, qui suâ culpâ abest; non indefensus dicatur, qui vocanti judici se sistere non vult, & omni conatu defensionis suæ causam subterfugit; non inauditus habeatur, qui suo silentio delictum ipse confitetur. De exilii pœna an illa absentibus adhuc possit irrogari. *per l. 5. de pœn. & l. 1. an per al. caus. app.* disquirunt. ea tamen pœna Ciceroni absenti irrogata est. Sic enim ipse: *A Vibone, quo accersebamur, subitò discessimus: allata est enim nobis rogatio de pernitie mea.* Vid. Scip. Gent. *d. disput. ad L. Clod. th. 56.* Quemadmodum autem regulariter contra absentes non proceditur in criminalibus, ita multò minùs contra *mortuos*. Sin enim, ne absentes quidem damnare liceat, quid mortuos ad judicium evocemus? absentiâ quippe differtur cognitio, morte aufertur, ac exstinguitur, omnisque accusatio solvitur. Cùm enim pœna à judice statuta tantùm autores suos teneat. *l. 22. C. de Pœn.*, si morte non solveretur judicium, eveniret, ut, aut heres plecteretur, qui non peccavit, aut sententia in sua natura propter adjunctam iniquitatem inanis esset: cùm in eum, in quem lata est, non nisi summâ injustitiâ executioni mandaretur, reo ipso

morte

morte subducto. *l. 4. C. si reum vel accus. mort.* Ne verò illa iniquitas committatur, præsertim in corporalibus pœnis, planè judicium dissolvitur, judex procedere prohibetur, accusator ab accusando desistere cogitur. *l. 15. §. 3. ad SC. Turpill. l. 20. ff. de Accus. l. 6. ff. de Publ. Jud.* Nec obstat *l. 3. ff. de Publ. jud. Reo vel rea antè defunctis accusatio publica permittitur.* Nam illic *permittere* non significat faciendi vel omittendi arbitrium habere, sed *remittere, intermittere, exstinguere, excludere.* qui sensus hujus verbi nec apud Autores infrequens est, nec etiam in jure nostro exemplo caret. Sic *l. 6. §. ult. ff. de Jure Patron. Lege Julia permittitur iuiur. liberto, ne uxorem ducat,* ubi: *permittitur:* est idem, quod *remittitur.* sic *l. 37. ff. de Pact. debitori reipubl à curatore permitti pecunias non posse,* i.e. debitum remitti. E' diverso *remitti,* sæpè *permitti* significat, ut in *l. 22 ff. ad L. Jul. de Adult. l. 8. §. pen. ff. de bon. libert. l. 3 § pen. ff. de Stellion. l. 5. §. 11. ff. de bon. eor. qui sub tut.* uti etiam ex Ovid. & Tacit. probat Cuj. *lib. 21. Obs. 29.* Vel etiam intelligi possit *dict. l.* de iis casibus, quibus heredi improbum ac turpe lucrum extorqueri solet. Imò non modò *accusatio* solvitur, sed & ipsum *crimen* quoad personam rei planè exstinctum. *l. 1. l. 2. C. si reus vel accus.* ac finitum est. *l. 3. eod.* Conf. Sebast. Medices, *tract. mors omnia solvit.* Cùm enim illa malitia, quæ in delictis illis vindicatur, hominum animis adhæreat, non ipsis corporibus, ad animæ discessum videtur illa quoque discedere, & moriente homine unà emori, nec in cadavere ampliùs superesse. Sic *pœna* etiam mortuis non irrogantur; ut enim crimen, ita & pœna exspiravit, & mors præveniens defunctos suppliciis eripit; cùm illis supplicium pro supplicio non sit; unde *crimen cum pœna exstinctum in reis defunctis* notanter dicitur. *in l. 6. C. si reus vel accus. mort. l. 20. ff. de Pœn.* Pœnæ enim corpus affligunt, doloremque excitant: quod affligi ampliùs nequit, si sentire nequeat: quia afflictio sensuum passio est. Itaque ipsa anima in corpore propter *suam* malitiam petenda est illis pœnarum cruciatibus, non exsangue corpus. Post mortem tamen sententia ejusque pœna aliquandò durat, quæ jam cœpit reo infligi: idque sive in moribundis accidit, ut cognitio continuandæ atrocitatis sensum pœnæ etiamnum in vivis exasperet. cujus exemplum præbent illi, qui primùm decollari, ac pòst, aut rotâ

 commi-

comminui, aut quadripartitò suspendi jubentur; sive in aliis quoque non capitis damnatis, quemadmodum deportatis, quorum jam defunctorum ossa in patria, ex qua pulsi sunt, sepelire etiam prohibitum erat durante sententiâ. *l. 2. de cad. pun.* Hæc de criminibus, in judicio jam motis, reisque adhuc viventibus condemnatis; In mortuis, vel ante judicium, vel ante sententiam saltem, forsan non item. Sanè in uno atque altero singulari & enormi crimine in mortuum judicium constitui, accusatio incipi, sententia ferri, ac executio in ipso cadavere suscipi potest. Quâ ipsâ vindictâ, licèt dolor ampliùs inferri nequeat, ac sic uno pœnarum fine excidamus, alterum tamen, nempe *exemplum*, quod præcipuum hoc casu est, eò exactiùs consequimur. *thes. 20. th. 14.* Et, ut in iisdem illis aliquid est, quod, lite etiam nondum motâ cœptâque accusatione, per absentiam non differtur; ita post mortem restat quid vindicandum, quod morte non exstinguitur, quò minùs incipere de eo judicium possit *d. thes. 20. & th. 19.* De iis, qui sibi in carcere mortem conscivére, & an illos, & quæ, pœna post mortem maneat, vid. Clar. *lib. 5. §. fin. quæst. 51. num. 15.* Mars. *in l. fin. num. 40. ff. de quæst.*

XXVIII.

Ex tot textibus munitæ ac stabilitæ veritatis radice ille fructus nascitur: *Executionem in effigie regulariter in criminibus fieri non posse:* cùm hæc, non nisi reis absentibus, ut mortuis, adhibeatur; illi autem ordinario jure damnari non possunt. Sed hîc passim Dd., consuetudinis à jure communi divortium occinentes, audio: quæ, si usquequaque legis vim obtineret, oleum & operam omnem in præcedentibus thesibus me perdidisse indolerem. Ita enim de Usu Italiæ, Clar. *pr. Crim. qu. 44. num. 3. per plures, quos ibi citat.* Ferd. Vasq. *cont. illustr. lib. 5. cap. 17. num. 4.* Brunnem. *in proc. inquis. cap. 8. membr. 6. num. 26.* De praxi Hispaniæ, Clar. *d. l.* & Gomes. *ad l. Taur. 76. n. 8.* Ferd. Vasq. *d. l.* De moribus Gallicis, Nicol. Boer. *decis. 63. num. 8.* De consuetudine Germaniæ nostræ, imò universali, Clar. *d. l.* & insuper, *qu. 61. num. 4. circa fin.* ubi dicit: *Reus, per contumaciam absens, secundùm consuetudinem totius mundi, habetur pro confesso ac convicto, & per consequens potest damnari ad mortem usque.* Zœs. *ff. tit. de Procur. n. 5. in fin.* Wissenb. *ff. tit. de*

tit. de Req. vel abs. Quorum opinio est, absentes propter contumaciam haberi pro convictis, adeoque perinde, ac si causa plenè perfectèque cognita esset, condemnari posse. Quibus consequens est, posse in omnibus quoque criminibus capitalibus regulariter executionem in effigie locum habere. quod indistinctè quoque asserit Zœs. *ff. d. t. num. 6. in fin.* Verùm omnes hos eadem causa in hunc errorem (quod pace eorum dixerim) adduxit: quia eo solo nituntur, quòd contra absentem ad pœnam banni procedi possit. Cæterùm de aliarum gentium institutis ac moribus magnoperè digladiari nostrum non est: quamquam ipsa illa attestantium Autorum testimonia sibi usquequaque non constent: ac ipse quoque Gomes. *variar. resolut. cap. 1. num. 76.* contendat, *in tribus tantùm speciebus practicari executionem in effigie, in causa Maiestatis, Hæreseos & Sodomia.* qui ferè casus sunt, quibus quoque Jure Civili in absentem fit condemnatio.

XXIX.

Quantum autem ad mores Germaniæ spectat, iis absentem damnari non posse in causa principali, hisce rationibus, ut puto, certissimis evincere licet. 1. Cùm de nostris moribus non minùs, quàm Jure Civili, in criminibus capitalibus clarissimæ probationes requirantur. *l. cuncti sciant. 25. C. de probat.* quod, (ut ait Bossius, in *tit. de convictis. num. 9.*) nunc omnes & sciunt, & dicunt. *l. 18. C. de pœn. l. 34 ff. ad l. Jul. de Adult. can. 2. qu. 8. II. can. 4. qu. 5. V.* Ord. Crim. *art. 10. verb.* gnugsame/unzweiffendliche/ überwundene/ und erfundene Missethat. *art. 16. 38. 67.* & passim. Clar. *§. fin. qu. 66. num. 3.* Gilhaus. *arb. crim. cap. 6. part. 1. §. 6. num. 4.* Carpzov. *pract. crim. qu. 114. num. 1. & seqq.*; Eæque tantæ esse debeant, ut inde etiam convictus crimen negare non ausit. text. admodùm notab. *in l. 16. C. de pœn. Non antè iudex capitalem severamque sententiam in quemvis promat, quàm in crimine aut sua confessione, aut certè omnium, qui tormentis interrogationibusque fuerint dediti, in unum conspirante concordanteque rei finem, convictus sit, & sic in obiecto flagitio deprehensus, ut vix etiam ipse ea, qua commisit, negare sufficiat. can. ult. qu. 5. XV. cap. 10. dist. 81.* Ord. Carol. *art. 9, 69. & passim*; imò si nolit confiteri reus, aut expiscari aliter veritatem non possimus, ut tormentis quoque ad id adigatur.

l. 8. . 31. C. de quaest. l. 8. pr. ff. eod. l. 10. §. 5. l. 18. §. 2. eod. & passim. Ord. Carol. *art. 16. art. 69.*: manifestae ac pleniſſimae illae probationes haberi non poſſunt, niſi utriusque partis rationibus perceptis ac inter ſe collatis. Quomodo E. illae adſunt, aut adeſſe poſſunt, ſi reus nequidem auditus eſt. 2. Inquocunque judicio innocentiae defenſio reo concedenda eſt. quae nulla ratione excludi poteſt, & ne quidem à Principe ex plenitudine poteſtatis omitti. *Clem. cap. paſtoralis. de ſent. & reiud.* Clar. §. *fin. qu. 49. num. 14.* Farin. *lib. 1. qu. 39. num. 18.* Carpz. *pract. crim. qu. 115. num. 11. & ſeqq.* Ord. Crim. *art. 47. 74.* At tollitur illa, reo nondum audito, ſi fiat condemnatio. Abſens E. cùm inauditus, cùm indefenſus ſit, damnari non debet. 3. Si contumax haberetur pro convicto, ac is, qui contumaciter abeſt, & ſui copiam in judicio non facit, pro vero facinoroſo, aut ipſa contumacia verum delictum eſſet, aut ex illa fictione, quae eum pro tali habet, & eſſe fingit, quis eſſet damnandus. Sed utrumque planè falſum eſt. Nam penitùs diverſa ſunt, contumacia ac ipſum crimen: contumacia enim ob contemtũ judicis autoritatem ſolùm committitur. quod pluribus inſuper ll. probat Bald. additque: *nullâ lege probari, contumaciam eſſe maleficium, nec qualitatem delicti: quia cum maleficio, neque in loco, neque tempore, convenit; ſed eſſe quiddam ſeparatum à delicto.* Gail. *PP. l. 2. cap. 5. num. 8.* Non etiam ex eo quis damnandus eſt in crimine, quòd abſens pro confeſſo habeatur; illa enim vera probatio non eſt: utpote quae argumenta certa, ac ipſa luce clariora, requirit; ſed ficta ſolùm probatio, imò propriè praeſumtio. Nihil aliud enim producere abſentia injuſta poteſt, quàm ut praeſumatur, reum propterea abeſſe, quòd ſuae cauſae diffidat, condemnationemque extimeſcat. Qui rei, fortè ſibi malè conſcii, animus JCtis ignotus eſſe non poterat, nihilominùs tamen, neminem ex praeſumtionibus damnandum hîc eſſe, voluerunt. *l. 5. pr. ff. de poen.* Quod illi ipſi Dd. uno ore concedunt. & Farin. *in pract. crim. q. 11. n. 6. &c.* quem refert Brunn. *in proceſ. inq. c. 8. memb. 5.* expreſſè aſſerit: *Quamvis ex ſtatuto etiam abſens habeatur pro convicto, etiam in criminalibus, praeſumtivè hoc intelligendum, & hac praeſumtio admittit probationem in contrarium.* 4. Omnium confeſſione ad bannum contra abſentes proceditur. Sed illud bannum, in crimine, quo

ultimum supplicium inferri debet, non est pœna delicti principalis, sed tantùm pœna contumaciæ; ut etiam in civilibus causis bannum contumaciæ pœna esse solet; & ob contumaciam illic ad bannum procedere dicimur: Absurdum autem est eam pœnam, quæ contumaciæ dictata est, & in civilibus ac pecuniariis negotiis obtinuit, parem esse, ac adæquatè proportionatam videri ipsis principalibus causis atrocissimorum criminum. 5. Et quorsum opus tot tradere pœnarum constitutiones, easq; unicuique delicto proprias ac determinatas assignare, si omnibus delictis peræquè bannum respondeat, nisi ipsum bannum contumaciæ pœnam esse (quæ ut æqualis in quibuslibet delictis, ita & æqualis contumacibus statuta pœna est illud bannum) asserere malis. Ut E. evidenter pateat, bannum pœnam principalis delicti non esse, ponimus casum, quo quis adulterii reus ultimo supplicio mactandus venit. *l.30. C. ad l. Jul. ad ult. §.4. Publ. ind.* Ord. Carol. *art. 120.* vel parricida culeo iusutus in mare abjicitur. *l.un. C. de his, qui parent. vel lib.*; meritò statuimus hunc adulterum aut parricidam, si banno feriantur, non posse censeri damnatos in causa principali: quia causa principalis non pœnâ banni, sed mortis ac culei requirit *dd. ll.* sed tantùm contumaciam punitam esse: quod si enim causa principalis ritè ventiletur, ac sententia delicto congrua feratur, utique illa his casibus imponet ultimum supplicium, quo illato executio debet esse sententiæ conformis, cùm aliàs non esset executio illius sententiæ, sed alterius pœnæ, scil. banni. 6. Estque text. expr. in Ord. Carol. *art. 155.* ubi dicitur: si quis antè ex illo delicto ad pœnam banni damnatus, in der Mort-acht erkant/ posteà capiatur, posse eum, non obstante priore condemnatione, se defendere in causa principali: quod utique fieri non posset, si semel jam causa principalis rectè esset cognita, ac sententia definitiva secuta, quæ retractari non potest: quia per eam decisum est judicium. *l.1. ff. de re ind. l.27. pr. ff. pœn. l.15. C. pœn. l.55. ff. re ind.* 7. Denique ipsa hæc banni pœna, ne quidem generali consuetudine inolevit, sed quibusdam tantùm in locis. per text. expr. *in d. art. 155.* verb. der zuvor in der Mort-acht erkläret wäre/ wie an etlichen Ohrten Gewohnheit/ nec in ducatu Brunsw. & Luneburg. eam consuetudinem observari, testatur Hahn. ad Wesenb. *tit. de req. vel abs. in fin.* Et plenissimè quoque de nostra consuetudine testis est Gail.

P.P. l.

P. P. l. 2. cap. 5. num. 10. Hinc constat, quantum opinionis errore à veritatis tramite vulgò deflectant illi Dd., pœnam criminis suspicantes, quæ tantùm est contumaciæ, & causæ principali illum processum tribuentes, qui inobedientiæ convenit.

XXX.

Italiæ autem illa consuetudo immane quantum distat ab ea lege, quæ expressè in absentem procedi jubet in quibusdam criminibus: in quibus exinde executionem in effigie locum habere suprà indicavimus, ac ad numerum relata ordine recensebuntur. *th. 33. & seq.* Nam 1. de illa consuetudine, ubi Autores damnari absentem de crimine voluerunt, si non compareat reus, etiam sine cognitione criminis damnatur ac bannitur, nec legitimæ probationes de ipso delicto requiruntur, sed indicia solùm sufficiunt. in quo nullo modo hæsitandum esse putat Clar. *d. qu. n. 10.* Sed ex eo ipse Clarus se prodit, non veram damnationem de crimine esse, utpote, qui in capitali judicio probationes clarissimas requiri, nec indictâ causâ quemquam damnandum esse, passim clamitat. Qui enim de crimine fert sententiam, probationes ejus requirit; qui de contumacia, absentiæ causam, seposito ipso crimine, rimatur. 2. Quin illi ipsi Dd., de hac praxi differentes, eam injustam absentiam pro ficta probatione habent, indeque contrariâ elidi arbitrantur. adeoq; hoc judiciũ firmitate sua laborat, ut, si redierit absens ante sententiam intra temp⁹ statutum, omne illud, quod hactenus actum est, annulletur; Si autem verè processum esset in causa, absurdum & frustratorium foret, si quicquid actum, quicquid probatum esset, inane ac nullius momenti haberetur. Imò si post sententiam reversus fuerit reus condemnatus, tunc adhuc defensioni tempus conceditur, quasi ne quidem tunc aliquid contra reum actum videretur. nisi saltem ad eum effectum, ut prior sententia contra eum inducat præsumtioné, quam suis probationibus eludere ac eluere necesse habeat. quamvis ne quidem hæc judicialis sententia aliis in locis præsumtionis effectum operetur. Clar. *d. l.* Tempus autem illud defensionis post sententiam alibi ipso jure concessum est, alibi peti debet, daturq; per modum impetratæ restitutionis in integrum contra sententiam, ut tradit Clar. *d. l. & q. 94. n. 12.* ut hoc modo exorbitantis consuetudinis color prætextus

textusq; haberetur: sed non respiciens, per illam restitutionem quoque ipsam illam inductæ, ac manentis adhuc, præsumtionis vim tolli. Cùm restitutio in integrum totum illud rescindat, quod gestum est, resque omnis ad pristinam causam revertatur. Eadem ferè de *Hispania* ritu testatur Baptist. Villalobb. *in com. opin. verb. absens*, adductisque autoritatibus hæc evincere nititur.

XXXI.

Sanè *Galliarum* moribus, si tot autoribus fidere liceat, introductum est, ut, præcedente triplici contumaciâ, judex, si plenas perfectasq; probationes criminis deprehēdit, ad ipsam condemnatoriam sententiam in causa principali contra absentem procedere possit. Sed & illud apud dd. Autores observamus eadem consuetudine obtentum: Ut, si in absentem ita judicium formatum sit sententiaque lata, tunc executionem supplicii pro modo criminis in effigie fieri solere. Et ita de utroque hoc *in tractat.* cui nomen *le vray Practicien François* circa processum contra absentes dicitur. *S'il y a preuve suffisante, le iuge passera à la condemnation, combien au dernier supplice, qui doit être executé en effigie.* tit. *Instruction du proces Criminel.* Et in alio tract. cui titulus: *le Style de proceder. p. 91.* de eodem processu contra absentes dicitur: *& procedant à la sentence definitiue, qui peut être executée sur les biens et sur la personne en effigie.* Sic & Wissenb. *ff. de req. vel abs. in fine. Imaginem absentis supplicio afficere Gallos.* Gudelin. *de iure Novis. lib. 5. cap. 14. circ. fin.* In *Francia creberrimum, illos, qui deprehendi non potuere, in imagine publicis locis affixa, suspendi, alioque merito supplicio affici.* Et Annæ: Rober: *1. rerum iudicatar: 10. pag. 186.* In *Francia in absentis damnati effigiem animadvertitur, eaque publicè in loco supplicii appensa manet.* quem refert Hill. ad Donel. *lib. 18. c. 10. lit. E. p. 345.* Vide etiam Joh. Imbert. *3 instit: Forens. 3.*

XXXII.

Si E. tantâ necessitate prærequiritur, absentem in ipso crimine damnari posse, ut executio in effigie locum habeat, quòd executio non fiat, nisi sententia præcesserit; in disquisitionem illud venit: Annon E. si, sententiâ legitimè in præsentem latâ, reus aufugiat ante executionem, hæc in effigie fieri possit indistinctè in cæteris quoque criminibus, in quibus speciatim

ciatim receptum non est, ut contra absentes procedatur. Quod meritò admittendum non est. Si enim reus præsens est, in personam ferenda sententia est, non in effigiem: quia ordinarius tunc pœnæ dictandæ modus obtinet, adeoque extraordinario locus non est. *thes. 22.* Quod si E. sententia ferri in imaginem non potuit, quia tunc præsens fuit reus, nec poterit executio in imagine fieri, licet postea absens sit; quia talis executio sententiâ comprehensa non fuit, nec comprehendi potuit, atque ita non esset executio illius sententiæ: ut tamen supponitur: Nec verò potest postea sententia semel lata mutari, imprimis in criminalibus, quæ, non nisi ex speciali concessione, judicibus inferioribus cōpetunt *l. 1. Off. ejus. l. 6. pr. de Off. Procons. & s.*; Non potest n. videri in una causa, nisi una sentētia definitiva, concessa: quâ pronunciatâ, cessat comissio & officiū judicis quoad istam causam, & in ea hactenus judex esse desinit, *l. 45. §. 1. l. 55. l. 14. ff. de re iud. l. 25. pr. ff. l. 15. C. de pœn. l. 27. ff. eod. l. 1. §. fin. in fin. ff. de quæstion. l. 1. C. sent. rescind. non poss.* & Augustinus de fato: *Iudicibus non licet suam sententiam in rem datam revocare vel mutare.* Unde colligi ac defendi optimo jure posse videtur, quòd, cùm Princeps talem mutare possit sententiam. *dd. ll.*, (quibus *non obstat. l. 3. C. sent. resc. non poss. l. 3. C. comminat. & epist.*) eo jubente executio in effigie fieri possit, atque ita hoc casu, quo scil. reus tempore sententiæ præsens & ritè condemnatus est, etiam in aliis criminibus executioni in effigie ex analogia juris, locum esse posse. Idq; maximè, si ingravescente malitiâ, resp. lædatur, ut ex plurium aufugientium, ac se executioni subtrahentiū, successu alii ad perpetranda ejusmodi invitentur, adeoque exemplo opus esse Princeps judicet. Quam in rem hæc executio utilissima est, ut etiam contra eos, qui ita verum supplicium effugére, aliquid fit, quod effugere non possint, ac habeant, quod metuant, cùm pœnam non metuant. Idem quoq; statuendum esse non dubitarem, si, totâ causâ pertractatâ perfectèque crimine probato, ac ipsius rei confessione confirmato, ut nil præter sententiam restet, sub ipsum tempus sententiæ excesserit, evaserit; tunc enim, etsi quidem sententiam legitimè ferre judex posset, quia cessat ratio: cùm nec indefensus nec inauditus fuerit maleficus, & plena probatio præcesserit; tamen adhuc fines judicii longè excedet

cedet hoc judicium: quia id de publica salute quodammodo suscipi videtur, cùm ejus non sit de ipsis legibus, sed secundùm eas, judicare. Principis enim tantùm est, quid utilitati publicæ conveniat, judicare, qui solus vel alicui ob merita quid indulgere, vel pœnam graviorem ordinaria irrogare *propter exemplum*, vel sine exemplo subvenire, consuevit. *l. 1. §. 2. Const. Princ. §. 6. J. de iur. nat. gent. & civ.* Add. Vinn. *ibid.* quod nequidem judici ad exemplum trahere licet. Junge *th. 51. vers. deniq.* Quod autem Angelus *in l. 3. C. de Accus.* hanc regulam, quæ præsentiam in criminalibus requirit, regulariter fallere dicat in principe, verum non est ex *Clem. c. pastorali. de sent. & re iud.* & inter eas fortè sententias referri potest, quibus non boni genii, sed mali: non veridici angeli, sed mendacis hominis, nomen apud Cravett. *cons. 241. num. 20.* Pruckman. *vol. 3. §. soluta potestas. cap. 4. eff. 5. num. 4.* quondam promeruit.

XXXIII.

Liberavimus E. adductâ quoque consuetudine absentes non quidem à contumaciæ peccato, sed à principale *crimen* reo inaudito exequendi periculo. Jam illorum *criminum* species persequamur, quæ fugientes hâc executione persequitur: referamus atroces illorum scelerum vindictas, quarum imago quoque sat atrocitatis habet, easque in numerum ordinemque cogamus. Tale *Primum* est *Crimen læsæ Majestatis.* In hoc n. crimine in absentem judicium ac processus legitimè formatur, & non ad contumaciæ, sed ipsius causæ principalis condemnationem, devenitur: ut constat ex *cap. ad reprimendum, Quomod. in læs. Maiest. crim. proced. Extravag. Henr. VII. verb. ne eorum absentia in detestando læs. Maiest. crimine processus & sententia retardetur, &c.* post: *contra ipsam vel ipsum perinde, ac si omnibus præsentialiter interesset, tam ad receptionem testium, quàm ad definitivam sententiam, & eius executionem, procedatur:* Clem. *cap. 2. pastoralis: vers. probabitis. de sent. & re ind.* Add. Bart. *ad d. extrav.* Angel. *in l. absentem. 6. C. de accus.* Gomes. *ad l. Tauri. num. 7.* Tum etiam post mortem movetur illud crimen, & cùm alioquin is, qui in reatu decedit, integro statu decedat: exstinguitur enim crimen mortalitate, *th. 27. & th. 20.* hoc tamen non exstinctum vivit, & post mortem restauratur. *l. ult. ff. l. 6. pr. C. ad L. Jul. Maiest.* & JCtus Paulus *in l. 7. C. eod.* Mar-

cianus *in l.fin. pr. C. eodem.* (utriusque enim JCti lex non dig. sedCodici,inserta est) §.3.*J.de Publ.Jud.§.5.l.de hered.ab intest.* Et memoria defuncti condemnatur. *d. l.6.l.ult. C. ad L. Jul. Maiest. l.20. ff. de Accus. l.86. §.1.ff.de acq.hered. l.6. §.11.ff.de iniust. rupt. l.31. § ult. ff. de donat. l.15. ff. qui & à quib. l.76. §. ult. de leg.2. l.penult. & ult. C. de bon.proscr. & passim.* Peregrin. *de Jure fisci. lib. 4. tit. 5. num. 19. seqq.* ubi plenissimè. Gigas *de Crim. las. Maiest. in verb. qualiter. in Crim. las. Maiest. proc. qu. 1.* Roland. *cons. 1. num. 16. & seqq. lib. 3.* Frantzkius *Exc. iur. 13. quaest. 6.* Clar. §. *las. Maiest. num. 16.* Gail. *l. 1. PP. cap. 19. n. 14.* Quin reliquæ persecutiones, quæ in absentes vel mortuos fiunt, ad hujus exemplar institui solent. *l.4. §.4. C. de Haret.* In hoc E. crimine, nè absentia quidem obstaculum processui ponere potest: additurque ratio *in alleg. extrav.*, quæ optimè consonat iis, quæ ex ratione naturali attulimus *nè ex absentia rei tam detestandi criminis sententia & executio retardetur.* quæ ratio quoque innuitur *l. 21. C. de Pœn.* Maximum enim momentum hujus executionis in eo positum est, ut præsentium videntiumque animi insolentes atque audaces à nefariis ausis deterreantur.

XXXIV.

Objic. 1. At ex illis nondum colligi videtur, reos Majestatis post mortem quoque crudeliter tractandos esse; illis enim solùm quæstio bonorum, in *dd. ll.* movetur, ut illa hæredibus auferantur, fiscoque applicentur; vel ad summum memoria eorum post mortem damnatur: jam defunctorum autem corpora plectere Romani nesciverunt. ℞. Imò Romanos etiam in cadavera aliquando animadvertisse, jam notum, & doctissimum quendam sui ævi virum, asserentem: *Non legi, Romanos cruci mortuos affixisse:* refutat Scipio Gent. *disp. ad ius publ. vet. Rom.* ex Plinii *loco, supr. ib. 20. alleg.*, adeoque ipsis hoc, non quidem ordinario jure usitatum, non tamen ignotum fuit: imò ordinarium quoque, pœnæ ac ignominiæ illatæ cadaveribus reorum, exemplum habemus in *l. 1. ff. de cadav. pun.* Hodie autem, quin in mortuos sævire ex gravissimis aliquot flagitiis liceat, ac soleat, nullum dubium est. Farin. *prax. crim. lib. 1. tit. 1. qu. 10. n. 77. & seqq.* Menoch. *arb. ind. qu. cas. 285.* Carpz. *pract. crim. qu. 131. n. 34.* Petr. Heig. *part. 2. qu. 37. n. 33.* Petr. Theod.

incoll.

in coll. crim. disp. 10. th. 10. Matth. Coler. *p. 1. dec. 107. n. 38.* Berl. *p. 4. concl. 5. n. 99.* Et Clar. *l. 5. § fin. qu. 51. n. 15.*, per Bald. Immol. Angel. Igneum, Bossium, Gomes. aliosque quotidiè hoc fieri, attestatur. Obj. 2. Esto, reos Majestatis post mortem in corporibus punitos; non tamen inde ad effigiem ex his inferri posse. ℞. Sed hoc non Romanorum, sed novius inventum diximus, atque ex consuetudine hoc vim accepit, quæ nec ipsis Romanorum legibus contraria aut inconveniens existit, quibus itidem per imagines damnare defuncti memoriam ac damno afficere solenne fuit. de quo pleniùs jam *th. 8. & th. 15.* Obj. 3. Reum fortè ipsum eodem modo per imaginem suam, si huic in ipsi⁹ locum suppositio quodam actu pœna, quam meruit, ingeratur, deterreri posse. ℞. Quàm inconcinnum hoc esset, quamque ridiculo ac frustratorio ritu tentaretur ex iis, quæ jam relata sunt, facile est judicare. Hoc enim, si instar pœnæ reo esset, aut ordinaria hæc pœna foret, aut extraordinaria. Ordinariam esse repugnat; nam pœnæ legibus statutæ esse debent proportionatæ delictis, id est: sufficientes emendationi hominum promovendæ, malitiæ reprimendæ. *cap. 5. vers. præmissis. de Pæn. in 6. l. 11. pr. ff. eod. l. 31. de fals.* Unde, si sensu demum doloris pœna legibus constituta absolvatur, illa sola par ac proportionata intelligitur subditis corrigendis ac coercendis, non verò imago ejus. Unde cognoscitur, illam deterrendi intentionem, non ratione Rei, sed tantùm cæterorum præsentium, effectum suum sortiri debere. Sed si extraordinaria illa animadversio haberetur, ne tunc quidem talis in effigie conatus præsente reo locum inveniret, quoniam ordinarium remedium extraordinarium excludit: cùm in delictis corporalem pœnam habentibus, si reus præsens sit, ac copiam sui præbeat, ipse in corpore, non in imagine, pœnas luere cogatur. *thes. 22.* Si verò in gratiæ Theatro versamur, nihil est, quod obstat, aut impedimento est, quò minùs per scenicum supplicium venia indulgeatur. imò magnum hoc olim momentum ac vim habuisse, non diffitemur, ad vivum exemplum ejusmodi legum transgressionibus iratæ, irritatæque, parcere tamen hâc vice cupientis, Majestatis, tum ipsis reis, tum aliis, exhibendum, quemadmodum sat feliciter ab Artaxerxe factitatum novimus. *thes. 16.*

XXXV.

Illud autem læsæ Majestatis crimen, quo regis aut reipubl. salus naufragium timet, quicquid nominum ac nationum in civitatis consortium se recepit, adeò execravit, ut dum inter omnes de crudelitate certamen fuerit, nemo justitiæ fines hac in parte excessisse incusetur. Hinc etiam ex legibus civilibus in hoc enormi crimine singularia multa constituta sunt, quorum præcipua ad has species reduci possunt, quæ nota quidem, ne tamen hîc omissa videantur, adjungere non piget. 1. Damnatur memoria etiam post mortem. de quo jam sæpiùs. 2. Æqua in hoc crimine omnium est conditio, ut nemo militiæ, generis ac dignitatis defensione ac privilegio se tueri possit, quò minùs fidicularum tormentis subjiciatur. *l. 4. C. ad L. Jul. Mai. l. 16. C. quæstion. l. 10. §. 1. ff. eod.* A. B. *titul. 24.* 3. Accusator quoque sine dignitatis discrimine quæstionibus traditur, si nempe ille manifestis indiciis accusationem suam probare non poterit, calumniæque causâ egerit; idemque est in instigatore accusatoris. *l. 3. C. ad L. Jul. Mai.* 4. Simili severitate punitur conatus & affectus sceleris, si de eo constet, ac effectus. *l. 5. princ. l. fin. princ. C. eod.* Ita in Gallia etiam punitum non solùm, qui opem consiliumvé attulit, sed qui texit, qui voluit, qui cogitavit. ut Bodin. *lib. 2. de republ. c. 5.* refert. 5. Bona etiam inde à tempore consilii cœpti ipso jure confiscata intelliguntur. *l. 5. pr. l. ult. pr. C. eod. l. 10. & seqq. Auth. Bona. C. de bon. proscript.* Conf. Carpzov. *pract. crim. part. 1. quæst. 41. n. 100.* Frantzk. *Exerc. 14. quæst. 7.* 6. Pœnæ confiscationis, infamiæ, filios quoque sequuntur, vitâ saltem per indulgentiam principis relictâ. *d. l. 5. pr.* A. B. *d. tit. 24.* cùm in illis etiam apud plurimas gentes parentum delicta suppliciis vindicata sint. ut refert de Persis *Brisson. lib. 2. reg. Pers.* Macedonibus *Curtius lib. 7* Scythis *Herodot. lib. 4.* 7. Eadem servitus extenditur ad Satellites, conscios, eorumque filios. *d. l. 5. §. pen.* A. B. *d. tit. 24.* 8. Adeò veniæ denegatio est, ut intercedentes quoque pro reis damnatis notabiles faciat. *d. l. 5. §. 2.* Quibus nos ex moribus nostris 9. adjicimus: Quod executio, si in corpore fieri nequeat, fiat in effigie.

XXXVI.

Duo autem capita fuerunt legis Maj. *arg. l. 2. ff. ad l. Iul. Maj.*

Maj.

Mai. junct. l. ult. eod.; & omninò separandum est crimen, quod in specie Perduellio dicitur, à reliquis causis Maj., quæ à cæteris criminibus minùs differunt, ac eorum naturæ propiùs accedunt. Equidem quicquid ad imperii vel imperantis læsionem suscipitur, id inter causas Majestatis recensetur: sed nec eodem modo nec pari effectu. Quædam enim machinationes insidiæque ad Principis internecionem, reipubl. divulsionem perniciemque admoventur; quædam autem molitiones adversus Principem, aliasque publicas personas suscipiuntur, non tamen cum Principis aut reipubl. concussione atque interitu conjunctæ sunt: sed vel ad dignitatem, æstimationemque ejus minuendam faciunt, vel contemtum creant infamiamque afferunt, vel aliàs damnum aliquod privatum involvunt. Illud Perduellionis nomine venit, hoc læsæ Majestatis, matris seu generis sui nomen, licet minùs Majestatem lædat, quàm antecedens, retinet. Perduellionis itaque crimen est, quando quis hostili animo in perniciem reipubl. aut Principis aliquid molitur: unde non sufficit damnum reipub. dedisse: sed in causa publica datum esse oportet; id enim verba: *hostili animo:* efflagitant; nam talis animus belli quandam rationem supponit, quæ non nisi in publica causa esse potest. *l. 24. de capt.* & Cicer. in *Orat. Philipp. 7. Quod erat bellum, si hostis Antonius non erat.* Ita villis, ædibus aliisve locis expugnatis aut incensis, damnū quidem reipubl. datur, non tamen committitur crimen Majestatis. sed de vi publica agitur. *l. 3. §. 2. l. 11. pr. ff. de vi publ.*; at si hostibus talia loca quis tradiderit, lege Majestatis tum demum tenetur. Hîc etenim causa, quæ hactenus privata erat, fit publica, & illic saltem privato nocere voluit, hîc reipubl. Idem verò est, an quis reipubl. nocere velit: an principi, qui rempub. repræsentat. Simplex a. crimen Majestatis est, quo contra securitatem reip. vel Principis nihil tentatur, sed saltem quid eorū, de quibus paulò antè, comittitur; etsi enim persona publica sit, quæ lædatur, non tamen ejus periclitatur inde tranquillitas ac salus, sed vel honos saltem offenditur, vel ad injuriam ejus delinquitur. *l. 4. §. ult. & seq. ff. ad l. Jul. Mai.* Cujus naturam benè exprimit Plin. in *Paneg. Maiestatis crimē singulare esse & penè unicum crimen eorum, qui crimine carerent; ideoq; eius metum à Traiano esse sublatum, contento magnitudine, quâ nulli magis caruerunt, quàm*

quàm qui ſibi Maieſtatem vindicarunt: Quales omnes ſi ſupplicio afficeret princeps, non habiturum eum, inquit Senec. *lib. 1. Clement. quibus imperaret.* Hactenus E. hoc crimine non continetur hoſtilis animus ac machinatio, quæ vaſtitatem ſolùm reipubl. ac regis perniciem meditatur. Etenim vaſtare, deſtruere remp. ejusve partes, vires ejus comminuere ac in exitium adducere, id videtur demum hoſtile eſſe: ad Principis autem, aut Imperatoris exiſtimationis imminutionem quid facere, ſi id cum inſidiis ac machinationibus in vitam ejus conjunctum non ſit, hoſtile non eſt.

XXXVII.

Hîc loci omninò tractandum eſt: An itaque in utraque hac ſpecie læſæ Majeſtatis locum habeat executio in effigie, & reliquæ illæ ſingularitates, quæ atrocitas hujus criminis in ejus pœnam cumulavit? Quod intrepidè negamus; & crimen Perduellionis ejus executionis comminatione unicè ac tantùm circumſcriptum eſſe, aſſertum imus. Nam 1. omnes illæ pœnarum excogitati exceſſus admiſſi ſunt ad firmandam reipubl. ſecuritatem, ut ſævitiæ hujus horror hominum malèferiatorum mentes à conatu quoque ac cogitatione turbandæ reipubl. cohibeat. *arg. l. 5. §. 1. verb. paterno debent perire ſupplicio, in quibus paterni criminis veſtigia metuuntur. C. ad L. Jul. Maieſt.* Idque 2. inde patet, quia *in d. l. 5.* in qua ſingularia iſta recenſentur, expreſſè tantùm agitur de perduellibus. verb. *in pr. ſceleſtam interis factionem*, & verb. *de nece virorum &c.* 3. Memoria non damnatur poſt mortem niſi in perduellionis flagitio *§. 5. Inſt. de Hered. ab inteſt. l. ult. ff. ad l. Iul. Maieſtatis. & paſſ.* Atqui hoc non ſolùm inter alia ſingularia, ac ſine exemplo recepta, præcipuum eſt, ſed etiam, quod potius eſt, hujus executionis quaſi fundamentum exiſtit. unde illa in imagine executio originem ſuam quodammodo traxiſſe videtur, ut adeò talis executio huic ſoli crimini adjudicanda, non ad alteram illam ſpeciem promiſcuè extendenda ſit. per ea quæ tradunt Azo *ad tit. C. ad l. Iul. Maieſtat. n. 4.* Clar. *§. Læſ. Mai. n. 14.* Alciat. *conſ. 467. n. 11.* Gig. *de crim. Mai. fol. 74. n. 24.* Bach. ad Treut. *vol. 2. diſp. 32. theſ. 1. lit. I.* 4 Simplex crimen læſ. Majeſtat. confertur reliquis criminibus publicis, nec in tantum ab illis recedit: ſola perduellio præ cæteris omnibus ſingu-

singulari jure utitur ex *d. l. ult. ff. ad l. Jul. Maj.* 5. Cessant rationes in cæteris causis Majest. auctæ crudelitatis.

XXXVIII.

Non movet me in contrarium illa generalitas verborum *Extravag. Henrici*, ubi in quocunque læsæ Majestatis crimine illũ contra absentes processum invexit, indeq; etiam ej⁹ executionem in effigie. arg. *th. 19.*, adeoq; hoc non tanquam perduellionis peculiare privilegium ac privum jus, sed & cæteris causis Maj. coṁunicatum suscipere debem⁹: Non movet, inquam, in diversam, sed potiùs in hanc, quam tenemus, partem, imò etiam apprime nos confirmat. Nam eadem hujus constitutionis mens est, quæ est *d. l. ult.* De eo enim læsæ Majestatis crimine ibi sermo est, quando in *Romanorum Imperatorum, vel Regum, vel ipsius imperii salutem impiè quid attentatur:* unde in eos fulmen suum stringit, qui *debita fidelitatis habenis adversus Romanum Imperium, in cuius tranquillitate totius orbis regularitas requiescit, hostili animo armati conentur nedum humana, verùm & divina praecepta, quibus iubetur, quòd omnis anima Romanorum Principi sit subiecta, sceleratissimis facinoribus ac rebellionibus demoliri.* Hinc apparet eundem illum, quem JCtus ex suo conceptu perduellem vocaret, hîc læsæ Majestatis reum ab Imp. dici, quasi, aut generis nomine in speciei designatione uti, aut hoc perduellionis crimen, utpote quod magis lædat imperium, Imperatoresque, pro solo Majestatis crimine haberi voluisset. Qua in sententia quoque Sigismundus Poloniæ rex fuit, qui in eo crimine, quod vulgò perduellionis dicitur, Majestatem tum regis, tum regni, lædi maximè judicavit, ac Cracoviæ 1359. definivit, in eo tantùm læsæ Majest. crimen consistere. Renat. Coppin. *in summ. polon. doman. cap. de regal.* Petr. Greg. quos citat Gothofr. *ad d. l. ult. ff.* Sed nec de veterum executione fortè falsò quis illud sibi persuadeat, & exinde, quòd sententia, quâ Sylla ambitûs damnari meruerat, imagines ipsi ereptas observet, pronus sit ad credendum, positas imagines in omni crimine deturbatas fuisse, nec hoc singulare fuisse in iis, quæ memoriæ damnationem ac deletionem habebant. Ita Cicero *pro Syll. Si indicio*, inquit, *vestro erit liberatus, domus erit exornata, aperientur maiorum imagines, ipse ornatum ac vestitum recuperabit, omnia hac amissa sunt, omnia generis, honoris,*

nominis insignia atque ornamenta unius iudicii calamitate occiderunt. Absolutoriâ E. videntur restitutæ imagines: condemnatoriâ eripiebantur; illâ domus exornabatur: hac spoliabatur. Dixit autem aperiri imagines, non dirui; intellexit amitti hæc ornamenta, non deleri; effigies eripi, non diripi. Cùm enim ambitus esset crimen publici judicii, & condemnatoria sententia infamiam inferret. *l.7.ff.de publ. iud.* famosis autem portæ dignitatis clausæ essent. *l.2. C. de dignitat. XII*, non miror, imagines majorum amissas, quæ ad infames non pertinebant, jusque imaginum ademtum, quod solis Patriciis nobilibusque competebat, ut probat Draco *de Orig. ac iure Patric. lib. 1. cap.3.num.12.* Solebant autem Patricii majorum suorum imagines in atriis habere. Alex. ab Alex. *Gen. dier. lib.5. cap. 24.*; nec de Syllæ propriis ac publicè positis imaginibus amovendis agit Cicero, sed de majorum non ostentandis, ne eorum honore virtutibusque se jactet, qui publicè infamis est: quod egregiè exprimunt verba posteriora *generis, honoris, nominis insignia atque ornamenta unius iudicii calamitate periisse.* Præsens E. locus priscorum illam executionem nondum tribuit crimini ambitûs, quæ in ipsis reorum statuis fiebat, non in majorum imaginibus, ut hæc infamia: adeoque illa executio in publicè positis: hæc, de qua Cicero, in privatim possessis, obtinebat; illa ad ipsos autores infamandos: hæc ad possessores; illa per statuarum eversiones; hæc quasi per interdictum non usum in ipsi⁹ habentis pœnam: quia his majoribus indignus habetur. Itaque hanc veterum executionem cæteris criminibus, quæ publicorum judiciorum nomine veniunt, communicatam nondum deprehendimus; quam solùm in crimine Majestatis exercitam tot Historicis ac JCtis probavimus. Sed redeamus ad nostram.

XXXIX.

Solitario E. jure executio in schemate in perduellione, non in specie in crimine læsæ Majest., obtinet. Duplicem autem facim⁹ ejus speciem; vel enim à subdito committitur in rempubl. & est *Rebellio:* vel ab ipso magistratu, aliove quolibet, qui violenter rempubl. detinet, & est *Tyrannis.* Utriusque criminis objectionem in ultimis Angliæ tumultibus, hinc inde factam, historia memorat, quòd scil. & rex subditos suos inferioris Parlamenti,

menti, & hi, viceversâ, Regem suum læsæ Maj. reum dixerint. Quo autem jure, quavé injuria, intellectu facile est. Idem E. hoc crimen Majest. à parte regis esset Tyrannis, à parte subditorum Rebellio dicenda. Tyrannidis dictio minùs Tyrannici significatûs olim habuit: crudelitatem posteà ex abusu eorum, qui nomen illud gererent, hausit: causam tantùm Imperii olim inficiebat: hodie imperium ipsum defamat. Denotabat enim eum, qui jus imperii, titulo haud satis valido, invaserat: uti si quis libertatem civium principatu coërcet, etsi cæteroquin moderatissimè rempubl. gerat. Bod. *l.2. de republ. cap.4.* Arnis. Polit. *lib. 1. cap. 9.* quem vulgus jam titulo saltem tyrannum vocat. *dd. Auct.*] Add. Bart. *in tract. de Tyrannia.* Ita Pisistratum, Athenarum tyrannidem consecutum, & ejectum inde, tertiò recuperasse civitatis imperium, narrat Herod. *hist. lib. 1.* & quàm invisus is hoc Tyrannidis nomine fuerit Soloni, commemorat sæpiùs Diog. Laërt. *lib. 1. de Vit. Philos. in Solon.* Ille tamen literis ad Solonem scriptis fatetur quidem, *se tyrannidem Græcorum arripuisse, sed aliàs in Deos ac homines nihil se peccare; servare item se leges, quas Solon Atheniensibus dedisset, quin se nemini injuriam fieri permittere, neminem ex inimicorum etiam numero mali quippiam à se perpessum: Tyrannus,* inquit, *ego, præter honorem & dignitatem, nihil à plebe differo.* Laërt. *d.l.* Et Herod. testatur, eum nec magistratibus turbatis, nec legibus mutatis, urbem benè ac pulchrè exornasse. *dict. loc.*; Haud absimile est exemplum Dionysii Majoris: quem à justitia, aliisque virtutibus commendat Plutarch. in Dione. Atqui is tamen fuit, qui tyrannidem Syracusarum occupavit, imperiumque non, nisi vi, tenuit. Quem, quàm perpetuus terror excarnificaverit, ipse exemplo gladii, setâ equinâ suspensi, & cervicibus hospitis impendentis, ostendit. de quo Cicer. *lib. 5. Tuscul. quæst. circ. med.* Cæterùm cùm tales Tyranni plerumque impotenter ac crudeliter rempub. gererent, adeò, ut Piso *apud Tacit.* asserere haud dubitaverit: *Neminem unquam imperium, flagitio quæsitum, bonis artibus exercuisse. lib. 1. Histor.*; nomen inde unà cum re in nefandissimæ crudelitatis odium abiit. Et hoc sensu Tyrannum dicimus, qui, depositâ principis personâ, non se pro parte præcipua, seu capite reipubl. gerit, ei prospiciendo, tuendo, conservando, sed ab ea se separat quasi, adeoque

pro peregrino est, ac hostem induit, divina humanaque jura proculcando, in publicam rem sæviendo, omnia ad suam privatam rem trahendo. Non E. Tyrannus est pars, sed hostis reipub. censendus: utpote cui hostilis animus non deest, dum rempubl. diripiendi, sibi omnia ejus jura arrogandi cupidine flagrat, faciem civitatis pro lubitu mutat; unde cædes & proscriptiones præcipuorum civium, qui ipsi impedimento, reipubl. emolumento, esse sperantur, eamque sustentare possunt, bonorum publicationes, direptiones, legum suppressiones: quæ omnia tyrannorum & instrumenta, & indicia, sunt. Aristoteles autem *lib. 3. Pol. cap. 15.* nimis periculosè tyrannum descripsit, adeò, ut definitionem suam in Parnasso revocare coactus fuerit, ut est apud Boccal. *cent. 1. ragg. 76.* Quod argumentum tractans Grotius ita ratiocinatur; *Nunquam posse consistere simul voluntatem imperandi cum voluntate perdendi. Quare, qui se hostem populi profitetur, is eo ipso abdicat regnum.* Huc tamen requiritur, ut res sit omninò notoria. Nam, ex quo, cui imperium populus detulit, ex hoc ipse ex suo judicio, non ex populi sensu reipub. prospicit, cui obediendi gloria relicta est; Tacit. *lib. 6. Ann.* ac vulgaris decempeda nimis angusta Augustorum actionibus dijudicandis: adeoque, cùm hactenus princeps sit, non potest de eo populus cognoscere. Quæ ratio cessat, si adeò notoria est Tyrannis, ut cognitione & judicio non sit opus: quo in casu naturalis defensionis jure, cùm extrema necessitas rempubl. indesinenter premat, armis quoque tueri patriam labantem licet. Quod tamen parcè, & non nisi in summa notorietate, asserendum: quùm aliàs præsentium rerum pertæsus populus, spe melioris regiminis, majorisque libertatis, promtè regem hostem summâ injuriâ pronunciabit: & plerumque illæ actiones, non statim eum hostem, sed malè imperantem saltem, arguent: qualis tamen ferendus est. Conf. Ziegl. *ad Grot. de I. B. & P. lib. 1. cap. 4. num. 1.* Dn. Osiand. *ad d. loc.* Add. Berlich. *p. 4. concl. 12. num. 72. & multis seqq.* Conring. *in not. ad Lamp. de rep. Rom. Germ. part. 1. cap. 1. §. 13. in fin. & §. 14.*

XL.

Ille verò tyrannus, qui per vim, notoriè injustam, rempub. detinet, & titulo solùm talis est, cætera munus optimi principis felicissimique Ducis in imperando optimè explet, perduellionis quidem reus ex ea ratione agi non potest: quia non hostili ani-

li animo in rempub. fertur: nec eam lædit, aut destruit, sed moderatè ac diligenter administrat: adeoque non talia, quæ hostium solent esse consilia, animo concipit; rem ad se jure aut injuriâ rapere, &c. sed, cùm olim tali fortè animo fuerit, dum injustè ac prædonio more rempub. invaserit, occupaverit, ad se traxerit, adeoque tunc temporis hostiliter affectus fuerit; tale crimen, mutato licèt animo, exstinctum videri non potest. Quales in iis rebuspubl., ubi libertas vigebat, occidere licebat, imò & in occisores præmia constituta sunt. Cicer. *lib. 2. Invent. l. 15. ad Attic. Epist. 5.* Videndum itaque, annon vel pactis secutis, promto suffragio ac consensu populi, ei postea concessum sit Imperium, vel fides publicè data: adeoque tunc crimen, quicquid fuerit olim, ipsa respub. hoc modo remiserit, ac perpetuâ amnestiâ sepeliverit. Quo facto, nullum ampliùs vitium superest; & expers legitimæ pœnæ, & quicquid ejus in necem suscipitur, injustum ac contra fas est. Quod tamen adhuc negare intendit Bodin. *de republ. lib. 2. c. 5.* sed de injusta concessione imperii eum loqui, apparet. Si nondum concessio præcesiit, an & tunc expellatur legitimè, porrò disquiritur? Et non inutilis hîc est illa distinctio: Si lex extet, permittens occidi eum, qui hoc aut illud, quod in conspectum cadit, ausus fuerit. quemadmodum tales in plurimis Græciæ civitatibus habebantur, & Athenis quoque lex Solonis, Romæ lex Valeria, &c. erat: legitimâ hâc facultate concessâ, iniusta esse occisio nequit. Quod enim lege concedente fit, id justè factum videtur. *l. 167. l. 137. R. J.* Lex autem illa abrogata nondum est, sed in suo vigore adhuc perstat obligatque, utpote arreptâ quidem potentiâ gaudente tyranno, non tamen per populi subsecutum consensum firmato imperio, acquisitâ legislatoriâ potestate. Et hæc species dubium non habet. Si autem ejusmodi lex non adsit, privata autoritas non sufficit, si ille benè omnia gerat. Satiùs enim esset reipubl., talem benè gerentem, licèt se ingerentem, habere, quàm denuò, non sine summa concussione ac perturbatione, aliorum prædæ exponi: aliæque non leviores rationes hîc occisionem prohibent. Nec absurdum, quòd id de rege ex justo titulo, sed degenerante ad tyrannidis (ipsi reipub. exitialis, ut *lib. priori* dictum) exercitium absque distinctione assertum sit; nam præterquam quòd in talibus rebuspubl. non

popularibus, sed regia manu tractari consuetis, vix talis lex extabit, certum est, in hoc proposito casu benè imperari, & si rex nondum sit: illic pessimè; hîc si maneat, nec occidatur, salvus ac integer reipub. status subsistit, & cum morte semper ferè novæ turbæ resurgunt: illic sive princeps permaneat in Throno, sive non, utrinque facies belli est ac ruinæ. Et ita salus publica, quæ suprema lex est, hanc quæstionem decidit. Cæterùm imperii invasorem tyrannumque, qui adhuc in eo est, ut regnum ad se trahat, arces invadat, urbes occupet, castella expugnet, licitè occidi posse, nemo unquam dubitavit.

XLI.

Sed quî in talibus executio nostra fieri potest, cùm armis illi silentium tribunalibus imposuerint, ac præsentes civium cervicibus immineant, adeoq; nec pœna ipsis dictari ob potentiam possit, nec in effigie exhiberi ob præsentiam debeat? Resp. uti in cæteris reis Majest., ita & hîc, de habili casu transigendum est: Si scil. nondum confirmatâ potentiâ profugiant. quemadmodum Catilina, qui cum conjuratis occupandæ reip. consilium ceperat, tandem ab urbe discessit; sic Pisistratum, molientem tyrannidem, Solon voluit citari, causamque cognosci. Laert. *in Solon.* Tunc E. ex moribus nostris executioni in effigie locus daretur, si vel profugi, vel mortui essent rei; quia post mortem durat damnatio. Quos verò firmata nimis potentia planè exemit terrori judiciorum, vix nisi post mortem hâc executione deturbari ac deturpari possunt. Equidem *lege Solonis* in genere statutum, ut Tyrannidis rei requirantur, cùmècontra *lex Valeria* primò occidendos tyrannos, tum deinde causam cognoscendam statueret. Plutarch. *in Publie.* Sæpe tamen utrumque observatum non est. Nam Harmodius & Aristogiton Pisistrati liberos, neglectis Solonis scitis, privatâ autoritate interfecerunt; Contra Furius Camillus, qui Manl. Torquatum lege Valeriâ poterat, affectatæ tyrannidis reum in jus vocari, ac causam cognosci, nec inauditum necari, permisit. Hinc sollicitè multi scrutantur, utra lex rectior utiliorque: Græca an Latina? an ea, quæ primò occidit, pòst cognoscit? an illa, quæ primùm cognoscit, pòst occidit? Putant Politici quidam, præstabiliùs esse, vim adhibere, quàm legis actiones nimis religiosè conquirentem leges unà cum imperio perdere:

irri-

irrident Solonem, qui nimis religiosè, an superstitiosè, cùm legitimo jure Tyrannos priùs judicari, quàm occidi vellet, Pisistratum, se vivo atque spirante, Athenarum tyrannidem occupantem, vidit. Bartolus quoque noster, ad Politicorum castra transiens, magis favere Valeriæ, quàm Solonis, videtur: *Rebellem impunè occidi posse*, astruens, *post probari ac declarari, quòd erat rebellis. in Extrav. qui sint rebelles* in verb. *rebello. n. 22.* quam Bossius communem sententiam testatur *de crimin. læs. Maiest. num. 119.* Sed ut illa Valeria Politicis magis, ita Solonis JCtis arrisit, quòd illa Valeria mutuis cædibus fenestram aperiret, sontesque æquè ac insontes internecioni darentur. Sententiam itaque in reos reipubl. læsæ ferendam illi volunt, ita tamen, ut ab eâ cognoscentem judicem non impediat reorum absentia. Unde Clar. §. *læs. Maiest. num. 17.* communem illam opinionem rejicit, ac non vult *consulere amico suo, ut id faceret.*

XLII.

Exemplum recens executionis in effigie ex capite Tyrannidis memoria nostra tulit in Oliverio Cromwellio, cujus non solùm sepulchrum eversum, insignia & monumenta deturbata, acta rescissa, posteris honores omnes ademti, sed & sub adventum ac reditum regis in patriam 1660. effigies è patibulo suspensa, & à populo fœdata fuit, ceu fasti hebdomadales retulerunt. Totum illum crudelitatis in tyraños quondam exercitæ, complexum ex Plutarcho in Arato & Timoleone Bodin. *de republ. lib. 2. c. 4.* collegit: *Juvat*, inquit, *Timoleontis & Arati gesta legere, ac Tyrannos, ex ipsa tyrannidis arce tractos ac nudatos, fustibus, latronum in modum, ad necem usque, coram pueris ac plebe verberari; deinde uxores eorum ac liberos, propinquos, familiares, amicos mactari & omnia crudelitatis genera perpeti, statuas etiam tyrannorum accusari, ac damnatas carnificibus quasi ad supplicium tradi* (hæc Plutarchus nonnisi de dirutis statuis, Bodinus autem etiam de executione hac, intelligit: vel tropicè loqui amat. quam tunc temporis nondum usitatam fuisse, *thes. 15. 16.* diximus) *ossa denique ipsa de sepulchris detracta in fœdissimas cloacas projici, leges ac edicta lacerari, arces ac domos superbas solo exæquari, memoriam denique ipsam sempiternâ oblivione deleri, ut talibus exemplis posteri Principes pestes illas abominarentur.* Quin apud quosdam populos ipsorum regum memoria post

mortem

mortem accusabatur. Fuit enim in usu apud Ægyptios, ut rege defuncto, antequam ei justa darent, per sacerdotem omnis vitæ series & ipsius facta susceptaque omnia, an fortis & benè imperasset? an negligens perditeque dignitate regiâ usus esset? ex suggestu in maximo omnium conventu prælegeretur, ac recenseretur; & si vitia prævalebant, honore funeris eum privare, atque insepultum cadaver abjicere, solebant. Quod à regibus timebatur maximè, ipsosque in officio continebat. Alex. ab Alex. *Gen. dier. lib. 3. cap. 7.* Limn. *de Jure Publ. lib. 2. cap. 12. num. 8. ex Pasquierio.*

XLIII.

Hæc de prima specie. Sequitur altera, *Rebellio*, quam Livius etiam *rebellium* vocat. Hæc autem est commotio subditorum contra principem vel rempubl. Qui enim bello quasi adversatur hominibus coactis, ac repugnat, quam aliam, quàm hostis, præ se fert speciem? *l. 1. ff. ad l. J. Maj. quò armati homines cum telis lapidibúsve in urbe sint, conveniántve adversus rempubl. locáve occupentur, vel templa, quóve cætus conventúsve fiat, hominésve ad seditionem convocentur,* & post: *quíve milites sollicitaverit concitaverítve, quò seditio tumultúsve adversus rempub. fiat.* Et in *Extrav. Henr. VII. tit. 2. qui sint rebell. Decernimus quòd singuli sint rebelles & infideles nostri imperii, qui quomodocunque publicè vel occultè opera rebellionis faciunt, &c.* In hoc autem rebellionis crimine, quia subditorum est, judicis jurisdictionem verè agnoscentium, ut in cæteris, cognitio causæ necessaria est, adeoque ante illud judicium sufficit judicium aliquod, vel qualiscunque dubitatio aut suspicio: non autem notorietas hîc requiritur; si modo in legitima causæ disceptatione evidenter de delicto isto appareat: nec enim, nisi ex perspicuis, prægnantibus ac luce clarioribus argumentis & irrefragabili rebellionis evidentiâ ad tanti criminis condemnationem descendendum est. Exempla eorum, qui ex hoc capite executionem in effigie passi sunt, satis hoc quoque seculo celebria sunt, toto orbe non ignorata. *Dania Magnum suum Præfectum Prætorio Corvitium, Comitem ab Ulefelt, ex capite criminis Majest. læs. reum convictumque, quòd Optimates, nobiles, clerumque regni ad rebellionem concitasset, multaque alia contra regiam personam, familiam, ac rempubl. patriam suam, molitus fuisset, Haffniæ capitis damna-*

damnavit 1663. 21. Jul. sententiaque in effigie saltem ipsius satisfieri per carnificem jussit. Capita sententiæ, quemadmodum in fastis relata accepimus, hæc sunt. 1. Ut omnibus dignitatibus exuatur, insigniaque ipsius ac descendentium, sine præjudicio tamen reliquorum gentilium, per Carnificem confringantur. 2. ut corpus dextrâ & capite truncetur, & hoc publicè suspendatur. 3. ut corpus in 4. partes discerpatur, & quatuor arcis angulis publicè spectandum affigatur. 4. Ut bona ipsius liberorumque, detracto ære alieno legitimo, confiscentur. 5. Omnes liberi ditionibus regni exulent. 6. Una ædium ipsius destruatur, & nunquam iterum ædificetur, columnâ è contrario, quæ mentionem ipsius delicti referat, erectâ. 7. Si ipse capi non possit, ut sententia hæc in effigie ipsius, eo, quo dictum est, modo executioni mandetur, certa promissa mercede ei, qui aut vivum eum sistere, sin minus occidere, possit. *Aut. anon.* Innocentissimum quoque Heroem Casparum Colinium, Thalassiarchum Magnum Regni Galliæ, quem ipse Rex semper sui parentis nomine decorabat, etiam post cædem ipsius, in laniena Parisiensi nefariè perpetratam VI. Kal. IXbr. 1572., publico SCto Parlamenti Parisiensis idem judicium, quamvis præter fas ac jus, sustinuisse, autor est Thuanus *lib. 53. Histor. fol. 845.* ubi & sententiam refert. Verba ipsius Historici huc afferre lubet. *Tandem horrenda contra mortuum Colinium fertur sententia, quâ, tanquam Maiestatis reus, pacis ac tranquillitatis publicæ hostis, & inita adversus regem conspirationis autor & instigator, damnatur, bonis omnibus fisco addictis, eiusque memoria infamatur, nomen in perpetuum aboletur: decerniturque, ut corpus illius, si usquam inveniri posset, aut si minus, imago, crati imposita, à carnifice per urbis vias raptetur, & in ripensi foro ad patibulum suspendatur; atque inde ad Monfalconias furcas editiore loco transferatur: ut insignia eius, ad caudas equorum alligata, itidem in sempiterna ignominia testimonium per urbes raptentur: & ubicunque locorum toto regno in eius honorem erecta, & ad decus affixa comperientur, publicè à carnifice confringantur ac lacerentur: Statuæ item eiusdem, & imagines ubique concerpantur, & aboleantur: ædes illius primariæ Castellione ad Lupam solo æquentur, nec ibi fas sit, ullum ædificium instaurare: arbores in illius septo ad mediam altitudinem cædantur, solum sale conspergatur, & in media area columna sta-*

 tuatur

tuatur cum lamina area, cui SC. hoc inscribatur: cum illius liberi ignobiles & intestabiles pronuncientur, & indigni qui publicis muneribus fungantur, aut ullis bonis in Gallia fruantur; iis, si qua possidere compersantur, in fiscum redactis. Et mox pôst: *etiam producta effigies straminea Colinii, eius ori ad ludibrium inserto lentisci frustulo, quo Colinius vivus ad purgandos dentes, uti solitus erat, & ferè semper in ore profundissimâ cogitatione retabat, quasi aliud agens &c.* Alter E. vivus, alter mortuus hoc supplicio in effigie damnatus est. Idem Duci Rohanæo obtigit, qui, incruento supplicio per imaginem immolatus, ministrum suum Pererium comitem sociumque executionis suæ accepit, ita, ut dominus absens in effigie, servus præsens corpore ac sanguine pœnas lueret. Ex fide Gramond. *lib.17. anno 1628.* sic accipe: *Pererius ad Fuxenses à Rohanao delegatus in manus Parlamenti incidit, & statim instructâ lite plectitur; instructâ item lite Rohanaus per contumaciam condemnatur, pœna indicta, qualis ex lege irregari solet iis, quos vocant in primo capite Perduelles:* Pergit E. Historiographus: *Iste actus unà Tragicus & comicus fuit. Pererius per ora vulgi traducitur, fune revinctus; traducitur & Rohanaus sub larvâ; equi 4. discerpunt phantasticum corpus; gentilitium stemma ponticos sine numere mures in tabula depictos cum membris in ignem proiicit servus publicus. Pererius, postquam ludiere adstiterat, Imperatoris sui rogum cruore respersit.* Sic etiam Monsieur de la Veüe *prevost des Marchands* propter assassinium in Monf. Lanchenu, *Envoyé du Roy* commissum, absens in effigie suspensus est. Aliud adhuc non ita pridem in Galliis tentatum hujus executionis exemplum, & quidem illustre, reperis in Theatr. Europ. *vol. 8. p. 590.*

XLIV.

Sub crimine rebellionis complectimur Proditiones. *per l. 1. ff. ad L. Jul. Maiest. qui hostibus signum dederit, literas miserit. per l. 3. eod. qui fecit, quò exercitus in insidiis deductus sit. l. 6. §. 4. de re mil. l. 38. §. 1. de Pœn. Ord. Crim. artic. 124. Omnesq; qui secreta Principum hosti dolo malo enunciant ac produnt. dd. locis.* Conjurationes. *l. 1. ff. eod. Cuius dolo malo consilium initum. l. 8. ff. eod. l. 5. princ. C. eod. qui scelestam inierit factionem. l. 1. ff. eod. qui milites concitaverit.* Transfugas. *l. 2. ff. eod. qui exercitum deseruit, & ad hostes privatus perfugit. l. 3. eod. qui imperium ac*

exerci-

exercitum deseruit. Seditiones. *l.1.ff.eod. qui fecit, quò armati homines cum telis, &c. hominesque ad seditionem convocentur,* O.C. *art.127.* Non obst. *l.3 pr. l.5.pr. l.10. §.1. ff ad L. Jul. de Vi. Publ.* Nam R. seditionis concitatores in utramque legem & Majest. & de vi publ. incidunt. Decian. *tract. crim. lib.7. c.7. num.16.* si modo contra eum moveatur, qui Majestatem habet: aliàs seditiones ad leg. Majest. non pertinent. Farinac. *qu.113. num.183. 192. 201.,* talesque civitatum concitatores *Taraxapolides* à Philone dicuntur: autores tamen capitis plectuntur. *l.2. C. de sedit. l.28 §.3. l.38 § 2. ff. de pœn.* Ord. Carol. *art.127.* Paul. *5. sentent. 22.* add. *l.1 §.12. Off. praef. urb* Boer. *de sedit. qui est in libr.10. tract. tractat.* Quibus omnibus hostiles sanè machinationes contra rempubl. suscipiuntur. Non E. dux Valetteus ex capite militiæ, vel desertæ vel malè administratę, executionem hanc in icone effugit. Cùm enim in Fontarabiæ obsidione ita se gessisset, ut regi suo rationes de eo reddere diffideret, indeque profugus in Angliam secessisset, voluntate regis citatus, accusatus, sententiaque Parlamenti Anno 1639. 4. Maji capitis damnatus est, ut in suggestu decidua bipenni cervicem incideret; quòd in effigie ob absentiam publicè peractum est, referente Gallico Historiographo du Verdier *en abbrege de l' Histoire de France.* Ubi prætereundum non est, in eadem persona sæpe concurrere crimen rebellionis & tyrannidis; uti quoties subditi, seu cives ideò rebellionum tempestates cient, ut tyrannidem ipsi occupent: quo utroque crimine sanè notari potuerunt capita factionis Guisianæ, seu, ut dicebatur, Ligisticæ sub duobus Henricis III. & IV. Galliarum regibus: non tantùm enim hæc factio graves seditiones ac turbas regibus suis excitavit, sed & eo animo hoc fecit, ut in se imperium transferret. Inter Ligæ hujus capita fuit Dux Aumalius, qui cùm paci suæ non tam cautè ac prudenter providere posset, ac Duc Mainensis, sub Henrico IV. in suprema Parisiorum Curia læsæ Majest. in summo gradu fuit condemnatus, bona omnia confiscata; addito, ut magnifica ipsius domus Aneti destrueretur, omnisque circumjacens sylva in majorem feloniæ hujus detestationem excideretur. quod ultimum tamen executioni mandatum non fuit: ipsa autem sententiæ capitalis executio peracta fuit in effigie, & aliqua ejus imaginum

4. equis in quatuor partes discerpta est. quod in corpore ipsius fieri debuisset 1595. sub finem, ut narrat Pierre Matthieu *aux histoires des derniers troubles arrivés en France. liv. 2. pag. 638.*

XLV.

Alterum crimen, quod typicum, ac umbratile supplicium, corporali deficiente, admittit, est *Blasphemia*. Vindicavimus hactenus Majestatis Politicæ sacrosanctum inter gentes caput, & in absentes quoque violatores armavimus. Quid E. de divina Majestate, ejusque temeratoribus? illane inermis tutò illuditur? An illa, cujus munere imperant reges terræ, à vasallis suis nullam animadversionem huic læsioni sancientibus sine summa feloniæ commissione negligitur? Quare, si quid adversus Divinam Majestatem committitur, quod dictu asperum, eloqui crudele ac impium: si blasphemiæ in eam evomantur, tribuendo, quod ejus naturæ repugnat; detrahendo, quod competit: si maledictiones proferantur, ut iis Numinis honos ac cultus divini æstimatio vilescat, sanctæque Doctrinæ autoritas minuatur, ac contemtui esse inter alios incipiat. his omnibus in casibus ex hac ipsa lege Majest. læsæ agi posse putamus. Hæc enim non minùs ad pernitiem ac vastitatem quasi divini in hisce terris Regni, quod quotidianis suspiriis desideramus, doctrinæque cœlestis, quàm ea, de quibus antè, ad terrestris regni eversionem tendunt. Quin imò & his molitionibus terreni imperii fundamenta concutiuntur, certaque futura ruina infallibili præsagio permittitur. Quo argumento inter alia movetur Justin. in *Nov. 77. cap. 1. §. 1.* ac utitur Maximilian. I. *Rec. Imp. 1495.* zu Worms. tit. Königliche Satzung von den Gotteslästerern. Nec usquam legi Majest. defecit autoritas, suis pœnis in Maj. Divinæ reos detonandi, fulminisque sui telo ad eos penetrandi. Nam ea solùm consideratio olim injurias, Numini illatas, hujus legis rogatione non expressit, quòd Deorum injuriæ Diis curæ esse crederentur, cæteroquin eadem legis severitate illas omninò coërcendas esse. Quæ ratio, tum à Tiberio *in lib. 1. Annal. circa fin.* affertur, tum in *l. 2. C. de reb. cred. & l. 2. C. ad l. Jul. Maj.* ubi quæritur: An perjuri hac leg. Majest. teneantur? asseriturque per Deos perjurum ideò non teneri, quòd ille satis ultorem Deum sit habiturus, per Principem autem perjurum teneri, dummodo non ex inconsulto errore,

rore, aut petulanter jurasset. *d. l. & l. 13. § fin. ff. de iurei.* Visum igitur Romanis, ipsorum Diis dedecori fore, si illos in tutelam sui humano auxilio, & externæ potentiæ ope indigere arbitrarentur, quos totum suum imperium tutari, ac conservare putarent, qui sat perdidicerant, quanta mala Dii neglecti Hesperiæ luctuosæ dedissent, ut vindictam iis præripere planè noluerint. Cùm tamen constet, religione Deorum nihil antiquiùs ipsis fuisse: quam potiorem quoque, quàm ipsum imperii decus, habuerunt. Hinc crimen Majestatis proximum demum sacrilegio dicitur. *in l. 1. ff. ad L. Jul. Mai.* *Omnia namq;*, ut ait Valer. Maxim. *l. 1. cap. 1. num. 9.* de moribus suorum civium, *post religionem ponenda semper civitas nostra duxit, etiam in quibus summæ Maiestatis decus conspici voluit: Quapropter non dubitaverunt, sacris imperia servire, ita se humanarum rerum, velut curam gerere existimantia, si divina potentia benè atque constanter fuissent famulata.* Quem Deorum metum sine plagis parem hominibus, in officio continendis, fuisse, meritò miramur: quamvis posteà evenerit, ut improbi per DEUM maluerint, quàm genium Principis, pejerare. Unde ille in eos Sarcasmus apud Tertullian. *Maiore formidine ac callidiore timiditate Cæsarem observatis, quàm ipsum de Olympo Jovem: Citiùs denique apud vos per omnes Deos, quàm per unum Genium Cæsaris, peieratur.* Conf. Suet. *in Claud. cap. 11.* Adde Ræyard. *varior. lib. 2. cap. 3. & lib. 5. cap. 5.* ubi tamen eos aliquando pœnas dedisse refert.

XLVI.

Admissa autem illa gentilium hominum ratio non est moribus ac legibus Christianorum Regum, qui seculari brachio divinam asserere gloriam, DEIque causam contemtui hominum, quantum in se est, eripere expressè in sacris admonentur; quia iis ipse DEUS utriusque tabulæ custodiam credidit. Cur autem Divino Numini injuriosum, magistratibus, tanquam suis ministris, ut omnium criminum, ita hujus quoque vindictam, commisisse? Itaque in ipso DEI populo gravissimam pœnam maledicis istis ac blasphemis dictatam fuisse, observamus, ex Lev. *24. v. 13. & passim.* Inde etiam Justinianus in *d. N. 77.* capitis pœnam in eos statuit, & Pont. Pius I. *can. 9. quæst. 1. XXII.* specialem pœnam expressit, quam tamen nonnihil Gregor.

IX. in *cap. 2. de maled.* mitigavit. At à variis quoque gentibus id variis modis prohibitum. De Hispania vid. Covarr. *in c. quamvis. de pact. in 6. p. 1. §. 7. num. 22.* de Gallia Boër. *decis. 301. num. 15.* de tota Italia Farinac. *tract. crim. lib. 1. t. 1. q. 20. num. 67. vers. etsi.* Menoch. *Arb. iud. quaest. cas. 375 n. 35.* Ac in nostro Imperio multis Recessibus sub capitis itidem pœna, pro gravitate admissi, vetitum. Reichs Absch. 1495. zu Worms. tit. Römische Satzung. tit. von Gottes Lästerern. princ. ubi constitutionem Justiniani in *d N.* repetit ac confirmat Maximil. & R. A. zu Augspurg/ 1500. tit. von Gottes Lästerern und Schwörern. Reichs Absch. zu Trier und Cölln/ 1512. tit. von GOttes Lästerern. Reichs Absch. zu Augspurg/ 1530. tit. von Gottes Lästerung/ und Gottes schwören. tit. 1. §. 2. verb. **sollen sie am Leben gestrafft werden.** Reichs Absch. 1540. tit. von den Gottes-Lästerungen. quæ priora ferè repetit Ord. Carol. *art. 106.* verb. **an Leib und Leben (nach gestalt der Lästerung) gestrafft werden.** Reuter-Bestall. *1570 tit. 74 & passim multis locis.* Quod si E. non ampliùs violatæ Majest. Divinæ pœna divinæ ultioni relinquatur, sed, pio exẽplo, divino jussu, magistratui cura ejus injungatur, pœnæque gravissimæ adjectæ, id sanè exinde conficitur, quòd Majest. lex, & hodie exerceri possit in illatis Numini injuriis. Quod JCti ferè omnes approbant, qui hoc læsæ Majest. crimen dispescunt communiter in Divinæ Majest. vel Humanæ, adeoque sub natura generali complectuntur eam speciem, quâ quid adversùs cœleste Numen committitur; & à Crimine Majest. Civilis ad Divinam ubique ferè argumentantur Imperatores, Pontifices, Canonistæ, Legistæque. Posito a. eo, quòd divini Numinis læsio ex lege Maj. vindicetur, illud quoque indubitatò ponendum est, executionem in effigie in blasphemia fieri posse. Idque 1. sat evidens. nam divini Numinis ac Nominis temeratores illi quædam hostiliter in ipsam rempubl. machinantur, utpote, quæ statu politico non modò, verùm maximè etiam ecclesiastico nititur. Tales autem blasphemias ad turbationem status ecclesiastici omninò tendere, certo certius est. Adeoque illi more hostium, non tantùm reipubl. sed etiam ipsius DEI tractandi, ac ad similitudinem eorum, qui statum politicum in discrimen conjiciunt,

in sche-

in schemate quoq;, ac effigie puniendi sunt. Cujus rei hoc tertium validum argumentum est. In illis criminibus executionẽ hance commodissimè fieri, quæ in absentes quoque procedi, ac sententiam ferri in ipso crimine posse, admittunt. Sed in blasphemis absentia processui impedimentum non ponit. R. Absch. zu Augspurg/ 1530. tit. von Gottes Lästerung und schwören/ §. *ult.* verb. und so er recht flüchtig würde/ solle nicht desto weniger gegen ihm und seine Güter gehandelt werden. R. Absch. *1548. eod. tit. eod.* §. Consule Berl. *pract. conclus. part. 4. concl. 1. num. 69.* verb. *Si fugam arripiat blasphemator & prædictis pœnis puniri non possit ; ubi fieri & capi potest, prædictis pœnis subjiciatur.* Quin etiam 4. ita hoc crimen comparatum est, ut respublica potiùs propter se sumat vindictam, ac alios deterreat, quàm, ut delinquentem tollat de medio: Sicut ipse Imperator illuc etiam collimat in *d. N. 77. civitas & respubl. per hos impios læditur.* & *l. 4 pr. C. de Heret. quod in divinam religionem committitur, id in omnium fertur injuriam.* Adde 5. quòd in plurimis cum crimine læsæ Majestatis Civil. summam convenientiam habeat blasphemia, ut non modò ab illo ad hanc valeat argumentum, *auth. Gazaros C. de heret.* Petr. Theodor. *disput. 5. thes. 8.* verùm etiam multa illi singularia huic expressè communicata legantur. per Reichs Absch. 1530. & 1548. *dd. tt.* Memoriam etiam defuncti accusare licet. arg. *l. 4. C. de Apostat.* imò & in mortuos pœnæ executio durat. *cap. 2. de maled.*, à qua capituli sanctione dum clericos eximunt, oppidò errant Abb. *in d. c.* Clar. §. *Heresis enim. n 3. Simancas de Heret. c. 8. num. 10.* Covarr. *in d. c. quamvis 2. de pact. in 6. pag. 1. §. 7. num. 20.*; cùm peculiariter, ac sanctiùs reliquis, DEUM venerari, ac colere, promiserint. Reichs Absch. zu Cölln 1512. *d. tit.* § und sollen die Thäter/ 2c. & R. I. 1548. Add. Carpzov. *pr. crim. p. 1. quæst. 45. num. 48.* Non autem huc referuntur, qui fortè ex simplicitate, rusticitate, Ord. Carol. *art. 106.* iracundiæ calore, aliavé mentis perturbatione, ex causa, quæ excusationem meretur, profectas voces blasphemas emittunt. Reichs Absch. zu Worms 1495. *d. tit.* §. Von Poen deren/ so aus Hitz oder Zorn schwören. item. Reichs Absch. 1500. *eod. tit.* Item 1512. *eod. t.* Quæ ipsa constitutio, ut capitis supplicium locum habeat, actuum pluralitatem requirit. Reichs Abschied 1512.

1512. tit. von Gottes-Lästerern. verb. so eine Person in solche Lästerung mannigfaltig gefunden wird. Reichs Abs. 1530. d.t. §. 1. verb. Soll derselbe durch die Obrigkeit deß Orts / da solches geschehen / erstlich mit Wasser und Brodt im Thurn gestraffet werden / wo aber der oder dieselbe zum andern mal in solcher Lästerung übertretten / daß der / oder dieselbe / an ihrem Gut / nach Gestalt der überfahrung / gestraffet. und so die zum dritten mahl mit solcher Gotteslästerung verbrechen wird / alßdann soll sie am Leben / oder Benehmung etlicher Glieder / nach Gelegenheit solcher Gotteslästerung peinlich gestrafft werden. Adeoque tertia demùm vice hujus criminis damnatus, morte punitur. quod Berl. *p.4. concl.1. n.62.87.92.* correctum putat in Reichs Abs. 1548. / ita, ut etiam primâ vice in hoc crimine in judicio deprehensus, si modò appareat, reum non ex lubrico linguæ peccasse, capite plecti possit: idque probat per generalia verba. *d* R.A. 1548 / *post princ.* §. und nachdem unsere Verfahren. in verb. in etlichen verbessert / gemehret und geendert. & ita sæpè judicatum asserit. Quanquam specialis aliqua ac expressa hujus correctio ibid. haud habetur. Idemq; cum Berl. statuit Carpz. *pract. crim. p.1. q.45. n.37.* quem maximè allegatum ex Levit. *24. vers.16.* exemplum movere videtur, quod in unica ac prima blasphemia contigisse, contendit. Et ita etiam Inclyta Facultas Juridica Tubing. hactenus respondet. Ex hoc capite læsæ Majestatis Divinæ hoc seculo nostro condemnatus fuit *Theophilus* quidam Poëta, qui carminibus Satyricis, publicè editis, blasphemas ac atroces impietates in Divinam Majestatem effutivisse, ferebatur. *Hic itaq; à Procuratore Regis Ludovici XIII. in suprema Parlamenti Parisiensis curia reus læsa Maiest. Divina factus, & ad Tuba sonitum ter, quanquam brevibus intervallis, per omnes plateas urbis citatus, ac in termino non comparens, in ipsa causa principali condemnatus est; ut ante portam adis S. Virginis nudus & linteo tantùm indutus, manu tadam tenens, pœnitentiam agat: inde deductus ad locum executionis, la greve, corpus comburatur unà cum libro, cineresque dissipentur in aerem, idq; si apprehendi possit, in corpore, sin minùs in effigie ipsius, qua effingi deberet, ut quàm, fieri posset expressissimè, referret imaginem*

ginem & habitum ipsius Theophili. Facta fuit hæc executio anno 1623. die 19. August. Refert hoc exemplum suprà laudatus Pierre Matthieu *d. tract. lib. 3. p. 1088.* adjecto alio Barteloti cujusdam, *qui ex eadem causa damnatus fuit, sed post mortem: iam enim anteà decesserat Avenione: is verò damnatus fuit, ut è patibulo suspenderetur confiscatis omnibus bonis: & huius quoque sententia executio facta fuit in effigie, tabulâ, qua imaginem eius continebat, è patibulo suspensâ. id quod eodem tempore accidit. d. l.*

XLVII.

Tertium crimen, quod executione hâc coërceri potest, videtur esse *Hæresis*. Summa illius affinitas est cum Blasphemia & temeratæ Divinæ Majestatis crimine. Non leves enim rationes executionem hîc efflagitant, omniaque requisita ejus reperiuntur. Postquam & crimen hoc publicum esse cœpit. *l. 4. C. de Hæret.*, & capitalis supplicii irrogatione multari meruit. *l. 5. l. 8. §. 5. C. eod.*, ac in absentes quoque vindicta insurgit. *c. 7. de Hæret. in 6.*, ejusque insuper naturæ est, ut post mortem illud non exstinguatur, sed tunc temporis quoque puniri consueverit. *cap. 6. quæst. 2. XXIV. Ubi licet de mortuis etiam hodie iudicare, quia iudicium non tantùm de vivis, sed & de mortuis sumitur. c. 8. §. pen. de Hær. in 6.* quæ quidem de anathemate ac bonorum confiscatione loqui videntur: sed cùm pòst receptum sit, uti aliquoties suprà dictum, ut post mortem in criminis pœnam cadavera quoque dilacerentur: quibus & ea addi possunt, quæ in utramque partem adductis rationibus disputat Athanas. *in lib. de fuga.* cujus verba quoque tradit Socrat. *Histor. Eccles. l. 3. cap. 8.* Et huic quoque crimini meritò id applicatum fuisse, contendit Covarr. *l. 2. var. resol. cap. 10. num. 9.* Cujus quoque conaminis in sacris ducem habemus Regem Josiam, qui ossa hæreticorum sacerdotum sepulchris suis erepta publicè comburi jussit. *2. Reg. 23. vers. 16.* Quin eam executionem hoc crimen mereri, ex eo certum est, quòd ad imitationem legis Majestatis in hoc crimine penitùs procedatur, ac memoriam post mortem damnandam esse, legibus cautum sit. Namsi in crimine Majestatis licet accusare memoriam defuncti, non immeritò & hîc debet subire tale judicium: uti argumentantur ac definiunt Impp. in *l. 4. §. 4. C. de Hæret.* ac Pontifex ex crimine

Majestatis læsæ infert, idem in Hæreticis observandum esse. *c.10. x. de Haret.* tum etiam de multis singularitatibus legis Majestatis hoc crimen nominatim participavit. *dd. ll. ac cc.* Idem in Apostatis locum quoque habebit, ut ex *l. 2. l. 4. C. de Apost.* cognoscitur; immoteque in hisce omnibus executionem in effigie adhiberi posse, astruit Gomes. *var. res. cap. 1. num. 79.* Unde Joh. à Rohas *singular. 134. num. 10.* statuit, rei effigiem ac statuam pari passu ambulare, si quando corpus defuncti hæretici haberi non possit, tunc statuam seu effigiem ejus comburendam esse. Non E. magnopere curamus, quòd Quindisal. *tract. de Haret. quæst. 22. num. 4.* executionem ejusmodi inconvenientem putat, & de jure ita de imagine procedi neget. In hoc hæreseos crimine factæ executionis in effigiem Romæ exemplum recentissimum suppeditat Christ. Adolph. Thuldenus ad *p. 4. Hist. nostr. temp. de Francisco Josepho Borri, in quem, ut hæreseos, aliorumque criminum reum, cùm opportuna fuga elapsus, ac frustra legitimè ad comparendum citatus esset, definitiva tandem sententia cum consilio & approbatione Theologorum & Canonistarum, tanquam consiliariorum huius inquisitionis, lata, atque statim initio anni 1661. in effigie ipsius executioni hoc modo data est, ut privatus omni honore, ac prærogativa unà cum eius scriptis exureretur, bonaque eius mobilia & immobilia, iura & actiones fisco addicerentur.* Ita Patavii quoque insignis Medici *Petri Aponensis*, ex vico Aponi condicti, jam mortui effigies corpore inquisito, sed non reperto, combusta legitur apud Zwingerum *in Method. Apoth.* Cùm enim præter Medicinam in Mathesi quoque excelleret, repertis in scriniis ejus aliquot figuris ac characteribus, obtrectatores quidam, qui gloriæ ejus invidebant, magiæ illum ac hæreseos post mortem accusare cœperunt. Judices innocentem eum damnarunt, sententiamque de cadavere publicè à Carnifice comburendo tulerunt. Marietta verò amasia, cum qua Petrus ille Aponensis consuetudinem, dum in vivis erat, habuit, eo cognito, eludendæ sententiæ, avertendique supplicii consilium cœpit. Noctu itaque ædem D. Antonii ingressa: nam illic sepultus erat: insciis omnibus corpus ejus sepulchro exemit, eoq; ritè recluso, ad ædem D. Petri transtulit, ac in alio monumento recondidit, atque adeo visa fuit judicium, sententiam, executionem suffuratam fuisse. Judices

dum

dum vacuum monumentum aperiunt, ne ullatenus sententiæ severitas intercideret, effigiem ad vivum exprimi jusserunt, quæ unà cum libris, loco cadaveris, publicè combusta est. Vid. Bernhardin. Sardeon. de claris viris Patavinis. *lib. 2. class. 9.*

XLVIII.

Sed vah quantus hîc abusus Ecclesiam, ineffabili ejus detrimento divisit! quàm fatalis calamitas abusum hunc funestavit! Hæreticum definiunt, qui vel levi argumento à judicio religionis Catholicæ deviat. arg. *l. 2. §. 1. C. l. 12. pr. C. de Haeret. Nov 109. præfat. circa fin. c. 27. c. 28. c. 29. quæst. 3. XXIV.* Perez. *ad d. tit. Cod. num. 1.* Gud. *de Jur. Nov. l. 6. c. 15. §. hac, qua dixi.* Catholicam religionem Romani nominis angustiis concludunt, uti in vulgus notum. Unde quot errores, tot calamitates publicæ: quot leves dissensiones, tot funesta Ecclesiæ schismata nata sunt. Quæ definitio Wissenbachio *ad h. Cod. tit. th. 1.* vaga ac falsa est, & Magn. Dn. Brandmyll. *in manud. ad Jus Can. & civ. differ. hæretici postulare possunt*, hoc in passu jus civile canonico postponit, quia hoc magis convenire juri divino, quàm illud, judicat. Nos hîc non inhærebimus istis definitionibus, quæ instituti non minùs nostri, quàm studii generis, terminos excedunt. Cæterùm assertionem nostram in duo membra dispescimus. *I.* Illi demum hæretici ad exemplar leg. Maj. puniuntur, qui in fundamentali & necessario ad salutem articulo falsam opinionem malitiosè ac pertinaciter tuentur: quantò enim illi à veritate ejusque fundamento discedunt longiùs, tantò impingunt vehementiùs, majorisque improbitatis censentur; indeque in eos graviores autoritatis Principalis aculei diriguntur: ignorantia verò & simplicitas rationibus ac admonitionum humanitate corrigenda potiùs, quàm ferro corripienda atque resecanda est. Sapienter Plato dixit: *Errantis pœnam esse, doceri.* Et huc facit eorum Theologorum sententia, qui hæreticos morte plectendos prohibent, Vid. Gerh. *de magistr. polit. §. 334.* Ac hoc assertionis membrum probamus (1.) ex *d. l. 4. §. 4. C. de Hæret.* quæ tantùm de Manichæis & Donatistis agit, qui alibi censentur *omnibus reliquis esse peiores, & ad imam usq. scelerum nequitiam pervenisse. l. 5. pr. eod.* & reliquis opponuntur, *in l. 12. pr. l. pen. eod.* Tantam E. pœnæ exorbitationem extendere volentibus ingerendum illud: *Ne quid nimis.* 2. Horum & reliquorum pœnæ planè sunt distinctæ. *l. 11.*

l.12. l.13. eod. & in his graviores, in reliquis longè mitiores, ſtatutæ ſunt. 3. Quotidianâ experientiâ atque uſu apparet, nunquam exerceri hanc pœnæ crudelitatem in eos, qui ab illis, in publicis de religionibus ſanctionibus, comprehenſis, opinionibus diſcedunt, etſi hâc noſtrâ quoque memoriâ non pauci eorum exſtiterint. 4. Per R. Imp. 1566. *§.5.* Ubi tantùm conſtituitur, daß von denen keine geduldet/ sondern allenthalben dem Frieden gemäß/ abgeschaffet werden. 5. Quia hæreſis à blaſphemia longè diſtat gravitate delicti. Blaſphemiæ enim fiunt propoſito maledicendi & effundendi injurias in ſacratiſſimam Majeſtatem Numinis; Hæreſes erroneæ potiùs opiniones ſunt de cultu ac natura Numinis, non verò pernitioſi in Majeſtatem ejus conatus, adeoque, niſi malitia conjuncta ſit, per errorem magis peccatur, & ignorantiam. idque conſtat ex d. R. Imp. ubi hæreſes dicuntur irrige opinionen: & paſſim appellantur errores. *cap.32. cap.ult. qu.3. XXIV. cap.2.x.de Haeret.* cùm & dicatur hæreſis *ab electione eius diſciplinæ, quam quis putat eſſe meliorem. cap.27. d.quaeſt.3.* add. *1. Tim.ult. verſ.fin.* Atqui error & ignorantia, etſi latiſſima ſit, à tanti criminis corruptela excuſare debet: cùm lata culpa in criminalibus ſub dolo non contineatur. *l.7.ff.ad l. C.de ſicar.* O. Car. *art.146.* & quævis cauſa, etiam fatua, à dolo excuſet. Clar. *l.5.§.fin.q.60.n.22.* *Quis n. nomen unquam,* ut cum Seneca Trag. loquar, *ſceleris errori dedit?* Conſule Bezam *tr. de haeret.* Peſſimis tn. Hæreticis annumerari videntur Anabaptiſtæ, quia opiniones & exempla eorum non agnoſcentium, vel magiſtrat⁹ poteſtatem, vel jurisj. vinculum, quo ſubditi aſtringuntur, ſunt plena ſeditionum, ac turbarum. ut patet exemplo, quod refertur *in R.I. 1535. princ.* & apud Sleid. *de ſtat. relig.* Unde & pœna ſupplicii in non diſcedentibus à tali ſcandaloſo conſortio *in R.I.1529.§.6. R.I. 1544. §.74. R.I. 1551. §.90.91. & ſeq.* ſtatuta eſt: quam jam olim Anabaptiſtis ab Impp. *in l.2. C. ne ſacr. bapt. iter.* dictatam reperimus. Conf. Perez. *Corv. ibid. II.* Reliqui hæretici, qui ſcil. in fundamento rectè ſentiunt, circa fundamentum tamen non approbandas ſententias fovent. vid. Wolleb. *comp. theol. c. 27.* etiamſi ad ſimilitudinem legis Majeſt. non conveniuntur, non tamen tolerantur: quin pace religioſâ non comprehenduntur, adeoque pro peregrinis habentur. *R.I. 1555. §.17.* Reformatos autem unà comprehendi, quis eſt, qui dubitare poterit?

rit? quis eſt, quem expreſſa verba tum Inſtrum. Pac. Oſnab. *ex artic. 7.* tum *R. I. 1654. art. 23.* non refellere aut convincere ſufficiant? Cæterùm, nec hi omnes, qui ab iſtis opinionibus recedunt, hæretici dicendi ſunt, ſed illi demum, qui vel autores, vel ſectatores ipſi ſententiam ſuam pertinaciter ac publicè defendunt: non verò, qui aliis aſſentiuntur: cùm Hæreſin generali ſenſu notemus Ἑτεροδοξίαν ſeu Ἑτεροδιδασκαλίαν *cum pertinacia*, & expreſſ. *l. 4. §. 6. C. de Heret.* junct. *l. 2. eod. cap. 28. 29. 31. 32. quaſt. 3. XXIV. 2. Petr. 2. v. 1. Philip. 3. v. 11. Rom. 1. v. 14. & ſeq. Tit. 3. v. 10. 2. Timoth. 2. v. 18. verſ. 23. & 24. Galat. 5. v. 10.* ibique *Hieronym. & Chryſoſtom.* Denique pro Hæreticis non habentur illi, qui toto Chriſtianæ fidei fundamento à nobis remoti ſunt, ut Judæi, Mahumedani, Pagani; illi enim demum Hæretici ſunt, qui in fundamentali articulo falſam opinionem eligunt, non qui ipſum fundamentum penitùs ſubvertunt. *cap. 27. c. pen. in fin. qu. 3. XXIV.* Et cùm hîc de iis diſceptemus, qui in Eccleſia degunt, in eaque opinionum falſitates introducunt, indeque puniendi ſunt, non poteſt id extendi ad eos, qui ſunt extra Eccleſiam: cùm illi nec judicio Eccleſiæ ſubſint, *1. Corinth. 5.* quæ de ſua doctrina, ab adulterarum opinionum fæce defendenda, laborat, & hæreſeôn fucos ſedibus arcet. Porrò hæreſis ſectæ genus notat: non autem inter Chriſtianos *Sectarum* nomine contineri poſſunt, qui Chriſtianum nomen non *ſectantur*, ſed abnegant: docetque id tractatio ejus in diverſis rubricis, tam in Jure Civili, quàm Canonico: nam Hæreticis, Apoſtatis, Judæis in utroque jure ſeparata loca titulique, indubio argumento diverſitatis, aſſignati ſunt, & opponuntur in rubr. *C. ne Chriſtian. mancip.* Eſtque hæc receptiſſima Dd. ſententia. Clar. *lib. 5. §. hæreſis. num. 2.* Equidem latiùs acceptâ hæreſeos voce, quatenus quis non orthodoxus eſt, etiam Apoſtatæ, Judæi, &c. hæretici dici poſſunt: ut *in l. 2. l. 3. l. 12. C. de Heret. l. ult. C. Ne Chriſt. mancip.* ſed non omnes ad hanc pœnam legis Maj., quin ne quidem ad pœnam omnes, vocantur. Et quantum ad *Apoſtatas*, dicuntur illi, vel quia planè abeunt à profeſſione Chriſtiani nominis, vel quia ab una religione tranſeunt ad aliam, eamque vel permiſſam: & hi pœnæ non ſubjacent, quia reſpectu magiſtratus nihil illiciti committunt; vel improbatam, & illi propriè etiam hæreticorum no-

mine veniunt, uti etiam appellantur *in l.ult.C.de Apost.* adeoque eadem eorum est ratio & pœna, quæ eorum, quorum sectis se applicant. Illi autem, qui ad infidelium consortium transitum faciunt, pejores habentur hæreticis, ita, ut nequidem pœnitentiæ locus sit: quod secùs in Hæreticis, *l.4.§.6.C. de Haret, Nov.129.c.3.c.1.c.8.x.de Haret.* Perez. *ad tit. Cod. de Apost. n.1.* Infideles autem, qui non per Apostasiam tales sunt, sed nascuntur, Judæi, Pagani, ab omni pœna, dummodò quietè, & non seditiosè, vivant, immunes sunt. Unde pagani tolerabantur in imperio tempore Imperatorum. *l.6. Cod. de Pagan.* Sacrificia autem vetita, templa clausa, cultus fictitiorum Deorum prohibitus. *l.1. l.2. & seqq. C. de Pagan.* Judæis autem hinc inde inter Christianos sacrorum, ad consuetum veterem morem, cultus permittitur. *l.ult. C. de Jud. & Cælic. c.1.c.3. x. de Judais & Sarac.* Vid. Wallens. *ad tit. x. de Jud. & Sarac.* ubi, & illos ad fidem orthodoxam non cogendos, & exigere Deum voluntarios ac spontaneos Discipulos *ex cap.9. de Jud. & c.5. distinct.45. & c.33. qu.5. XXIII.* astruit: neque etiam absque judicio illi puniendi, aut rebus suis spoliandi sunt. *cap.9. de Jud.* Perez. *ad tit. de Jud. & Cæl. num.2.* Athei autem non tanquam hæretici, sed ex capite Blasphemiæ, ex lege Maj., plectuntur. Add. Hobbes. *de civ.c.14. num.19.* Sed non sine cautela. Hæreticorum si placet Catalogus, vide eum in *cap.penult. quæst.3. XXIV.* Sed hæc ultra propositum ferè, dum ab aliis ad alia inviti invitati atque dilapsi sumus, ita invicem rebus secum cohærentibus, ut sine interitu utriusque alterum tantùm non possit sub judicium examenque vocari.

XLIX.

IV. *Quartum* crimen alii addunt, scil. *Sodomiam.* Gomes. *var. resolut. cap.1. num 79.* Sed malè: tum quia authoritate Juris, tum iis requisitis, quæ tali executioni connexa sunt, destituimur, ipsumque hoc crimen tale est, ut potiùs abscondi & occultari, quàm publicâ solennitate ad aures ac animos hominum perferri mereatur. Quædam enim crimina sunt, ut aliquoties jam monuimus, quæ ex audaciæ ac temeritatis excessu oriuntur, quorum proinde vindicta publica executione ad omnium oculos, aures ac mentes devolvenda ac disseminanda est, ut supplicii atrocitate terror temerariis ausis injiciatur, & intre-

intrepida hominum protervia metum vindictæ concipiat, indeque audacia omnium reprimatur. Et talia imprimis sunt ea, quorum effrenis procacitas non privatorum, sed ipsius Majest. Humanæ Divinæ've, ac rerumpubl. pernitiem molitur, uti hactenus crimina exposita. Alia sunt crimina à prioribus immane quantum discrepantia, quorum nempe infamis ac obscœna turpitudo, abominabili mentione sui, honestas aures mentesque offendit, ac proinde taceri potiùs contegique, quàm publicâ executionis imagine ad omnium memoriam diffundi, oportet. Inter quæ præcipuum est Sodomia. Nam de isto crimine hoc solet circumferri, quod & dicitur *in d. l. 31. C. de Adult. Scelus est id, quod non proficit scire.* Unde & in simili crimine ipsum pecus quoque è vivis tollitur, additâ ratione, ne tali flagitio contaminatum indignam facti memoriam refricet. *cap. 4. quæst. 1. XV. Lev. c. 20.* Quæ tamen eo extendenda non sunt, ut, si habeantur rei præsentes, etiam tunc eos publica pœna afficiendos propterea negem. Sed dicis: Ergo ratio criminis non repugnat, ut propaletur atque divulgetur, si publica pœna irrogari delinquentibus debeat. Respond. Etsi quædam crimina supprimi ac celari deceat, tamen executio vult necessariò propalari, atque ad oculos omnium diffundi. Si E. reus præsens est, ut corporali pœnâ plecti possit, ea publicè executioni danda est, quia, ut publicè fiat executio, ejus naturâ continetur. Nec enim supprimendi criminis tanta necessitas, ut impunitatem reo præstet, aut publicam executionem impediat. Si verò præsens non sit, ut pœna de reo sumi corporaliter nequeat, non opus est publicâ executione, cùm tunc demum ea ratio obtineat, crimenque hoc celari tunc potiùs, quàm divulgari mereatur, adeoque dicerem executionem in effigie non admitti.

L.

Sunt quidem & alia crimina, quibus in absentes proceditur, ut in casu *l. 4. §. ult. ff. ad l. C. de sicar. & l. 21. C. de pœn.* executione tamen in effigie non gaudent. Præterquam enim, quòd utriusque delicti casus sit specialis; primum quoque est è genere eorum, quæ contegi potiùs, quàm publicis saltem ritibus divulgari, oporteat; alterum pœnam capitalem, quæ sola in effigie executionem admittit, non continet, sed arbitrari-

am, pro modo delicti. Sunt etiam alia duo, in quibus post mortem judicium moveri potest, itidem tamen executionem hanc non admittentia, ut crimen repetundarum. *l. 2. ff. ad l. J. Repet. l. 20. ff. de Accus.* & peculatûs. *l ult. ff. ad l. J. Pecul.* Judicia enim repetundarũ & peculatûs ideò in heredes dantur, non quasi ipsam criminis vindictam contra heredes persequi liceat, sed quia defunctus rem accepit, quæ proinde etiam cum suo augmento pœnali ab herede quoque repeti debet; imitantur enim hactenus naturam furti, quia rem ablatam repetunt, & quodammodo rei persecutionem continent. Unde Papinian. in *l. ult. ff. Pecul. hac duo judicia, peculatûs & repetundarum, ideò non immeritò adversus heredem exerceri statuit, quia principalis quæstio ablata pecunia in his movetur.* Et tantum de criminibus, quæ in absentes vindicari, & in effigie puniri possunt.

LI.

Hactenus de criminibus egimus, & inter scelera versati sumus, sed, ut puto, sine scelere: utinam & sine culpa, &c, quod magis vereor, sine reprehensione, sine erroris aut lapsûs alicujus macula. Jam alia scena panditur. Qui E. olim non erubuit ad delictum, expallescat jam ad gladii, sanguine humano rubescentis, ictum. Coërcenda illa immanis audacia; edomanda átrocitate pœnæ belluina hæc protervitas, quâ ipsa Majestas periclitatur, ipsa contremiscit respubl. In illum itaque inquirimus, quem ultore ferro accinxit justitia, mille oculis instruxit crimini inquirendo, totidemque manibus reprimendo. Potestatem quærimus, cui subigendi hanc nequitiam, sin minùs in ipso reo, saltem in imagine ejus exequendi, jus competit. Et quidem, cùm executio in effigie ad mortis demum, ultimique supplicii pœnam pertineat, illam mero imperio contineri, eique, qui eodem imperio gaudet, adjudicandam esse, neminem fugit. per *l. 3. ff. de Jurisd. l. 1. §. 1. d. Off. ei. cui. mand.* Vinn. *d. iurisd. cap. 1. num. 3. & seqq.* Govean. *ad d. l. 3. num. 6. & seqq.* Hahn. *de iurisd. n. 6.* Non tamen diffundam me in copiosissimos materiæ hujus tractatus, nec in spaciosissimum hunc campum divagabor, quo nihil à dissertationis hujus ratione alienius; paucula saltem pro instituti nostri tenore, missis iis, quæ veteris reipubl. formam, magistratusque jura suis circumscripta jurisdictionum limitibus sapiunt, ex jure hodierno delibabimus. Competit ergò

ergò poteſtas exequendi crimina tum in corpore, tum in effigie ipſi ſum̃o Principi, ut & reliquis Principibus ac ſtatibus Imperii, qui in ſuis territoriis ſum̃â poteſtate ſua ratione utuntur, competit. Hoc enim imprimis Imperio & officio Principis continetur, ut effuſam criminum licentiam coerceat, adeoque hæc animadverſio in facinoroſos eſt pars ipſius ſublimis ac regii territorii juris, quam Principes proprio jure exercent. Vid. latè Reink. *lib. 1 claſſ. 5. c. 1. & ſeq.* Paurmeiſt. *de iuriſdict. l. 1. c. 4. num. 4.* Knichen. *de ſubl. ac reg. terr. iur. c. 1. n. 189.* & dicitur ſuperioritatis territorialis ſymbolum ac κριτήριον infallibile. Reink. *d. claſſ. 5. c. 4. num. 69.*, eamque ita ſingulis territorii glebis adhærere volunt, ut nebula ſupra paludem. Knich. *d. c. 1. num. 232.* Quaſi in re tam clara ac illuſtri Nebulæ ſimilitudine opus eſſet. A Statu autem Imperii ante paucos annos exhibitæ hujus executionis in effigie notorium ſpectaculum adhuc loquitur Lauenburgum, & publico loco ſuſpenſa etiamnum hæret effigies, executio animis. Huc itaque remittimus, qui hanc executionem in imperio ignoratam arbitrantur. Quin & iis, qui hoc ſublimi territorii jure non gaudent, ſed regalia demum ſimpliciter conceſſa habent, eadem in effigie executio competit; quia regalibus ſimpliciter conceſſis, etiam imperium merum concedi intelligitur, utpote, quod inter regalia hodie refertur arg. *lib. 2. feud. c. 56. multarum pœnarumque compendia, bona damnatorum poteſtas conſtituendi magiſtratus, &c.* Alciat. *ad c. quod ſedem. 10. de Offic. ordinar. n. 41 & 47.* Wurmſer. *Exerc. Acad 3. qu. 8.* Ita autem concedi ſolent regalia civitatibus & nobilibus mediatis, vel conceſſo caſtro cum omni regalium jure. Denique illis quoque in imagine exequendi jus eſt, quibus ſimpliciter merum imperium conceſſum eſt. Conf. *theſ. 32. in fin.* quod tamen, nec hodie poteſt mandari, i. e. delegari ab eo, qui ſpeciali demum jure id conceſſum habet. *l. 6. pr. de Off. proconſ. l. 5. pr. de Off. ei. cui mand.* junct. Ord. Carol. *art. 2.* Vinn. *de iuriſd. c. 3. n. 5.* Suth. *diſp. de iuriſd. num. 406.*

LII.

Sed nimis forſan hujus juriſdictionis fontes deduximus, ac plures quàm par eſt, in tam ardua cauſa incogitanter judices fecimus, non advertentes, nos noſtramque executionem in

effigie in crimine Majestatis versari: cujus Tribunal solus Princeps sibi occupasse ac reservasse videtur. Quid enim illi ipsi summi Imperatores, qui tam sollicitâ curâ pupillis, viduis, diuturno morbo fatigatis, aliisque lenitatis eorum indigis, prospexére, eorumque in causis se judices constituere, ne vel adversariorum potentiâ, vel judicis negligentiâ, aut advocatorum incuriâ læderentur. *l. unic. C. quand. imp. int. pupill.*, anne sui negligentes, aliis tanti momenti quæstionem concedere voluisse censendi sunt? An curam salutis, tum sui ipsorum, tum reipubl. ita deposuisse creduntur, ut magistratibus eam totam transcripserint, iisq; hoc in crimine cognoscendi facultatem concesserint. Ita & ipsa lux veritatis Historia, in causa Majest. principes ipsos ut plurimùm judicasse, afferit. Pro iis itaque conciliandis, quæ temporum res gestæ suppeditant, anxiè laborandum non est. Cùm enim illa monumenta parciori manu inferioris sortis hominum delicta consignent, sed ut plurimùm summorum in republ. virorum actiones referant, eorumque machinationes in statum publicum, consilia, conspirationes, pœnas curiosè ac sollicitè annotent, qui solis principibus ministrant ac subsunt, minorumque judicum jurisdictioné non agnoscunt, nec eorum tribunali se sistunt, aut evocantibus obsequuntur; indeque mirum non est, in eorum causis principes jus dixisse, aut aliis vice sua notionem commisisse. Deinde plurimi summi Principes jure avocandi causas fruuntur, ut, quandocunque velint, suam cognitionem interponere, non impediantur. Quod Papa sibi in Ecclesiasticis olim arrogavit, ac multis in locis passim exercuisse, ex pluribus capp. apparet. Sic quoque Regem Franciæ coram Parlamento Parisiensi avocare, & ad suum consilium trahere causas posse, testatur Jason. *Consil. 144. num. 1. vol. 2.* Covarr. *pract. quæst. cap. 9. n. 3.* regulam tamen, quam de avocatione: *Tunc scil. causam avocare superiorem non posse, & ad suum iudicium trahere, quando inferioribus ex contractu iurisdictio competit*, tradit Natta *consi. 108. n. 9. vol. 2.* & dicit secum Dd. comm. sentire & ex eo Schrader. *de feud. part. 10. sect. 1. n. 185.* hîc non tango, nec ejus veritatem hîc excutio. Illa autem conjectura Imperatoriæ voluntatis, quâ ex eo, quòd in pupillorum, &c. causis ipsi jus dixerint, hâc quoque in causa soli jus dicere voluisse, argumentamur,

tamur, nec judices potuisse, quibus merum imperium ac jurisdictionem omnimodam concesserunt, debilis est; nec exinde quid sollicitudinis erga rempub. Princeps remittit, aut quod officii ipsius est, omittit. Sed nec hoc quidem ex *l. unic. C. si quis Imp. maled.* colligitur. Quia lex ista de dubitabili, ut ita dicam, casu loqui videtur, ubi ad Imperatorem recurrendum est, qui de ambiguitatibus juris cognoscit, easque evolvit. *l. 1. C. de leg.* quod uti in omnibus causis fieri solet, ita judicem à cognitione hujus criminis statim non removet. Multò minùs quid præsidii capitur ex eo, quòd in *Extrav. Henr. c. 2. qui sint rebell.* dicatur, *non solum* eum rebellem esse, *qui nostra Maiest. sententiâ damnatus, sed & qui ipso actu quid machinatur contra rempubl.* Neque enim de judice ibi quicquam agitur, sed quæritur, quinam sint rebelles? deciditurque simpliciter, non solùm eos pro rebellibus haberi, quos sententia tales pronuntiavit, sive Imperator ipse, sive alius quis judex fuerit: sed eos omnes, qui rebellionis opera faciunt; eoque tota constitutio tendit. Quis autem judex sit, jam in præcedente capite tractaverat. Quòd si verò ipsos aliquando judicasse principes in causa Majest. appareat, ex eo solo concludendum non est, judices, qui aliàs de criminalibus judicare solent, hujus criminis cognitionem executionémve aut amisisse, aut non habuisse. Nam in aliis quoque criminibus principes judicasse, reperire est, in quibus dubium non est, quin nihilominus adhuc jus dicendi facultatem judices consueti retinuerint. Regulariter autem judices, non Imperatores in hac causa jus administrasse, & quoad hoc nihil singulare, & à reliquis criminibus distinctum, in causa Maj. observatum fuisse, probat *l. 7 §. 3. ff. ad l. Jul. Mai.* ubi monentur *iudices, ut potiùs in causa Mai. ad veritatem, quàm ad Mai. principalis venerationem respiciant.* & *l. 4. C. eod.* permittunt Impp. *iudicibus, ut inconsulto & nescio Imperatore reis Mai. fidiculorum tormenta inferantur.* Alius igitur utrobique est *Imperator*, alius *Judex* in crimine. Et quod in causa Majest. non præcisè Imperator, sed alius competens, sit judex, evincit noviter quoque Henrici VII. constitutio in *extrav tit. 1. quom. in læs. Mai. crim. proc.*, quam vulgò XI. collationem vocant, his verbis: *prout illi, qui iurisdictioni præest, videbitur expedire, procedere potest.* Et adhuc recentior constitutio idem ostendit, nempe Ordin. Carol. ubi

art. 218. judici in crimine Majestatis conceditur bonorum publicatio, in aliis non conceditur, sat certo argumento, judicem competentem esse eum, qui jurisdictionem, ut vocant, superiorem habet, & capitis quem punire potest. Nec omninò ex historia exempla desunt etiam ex ipso jure Romanorum. Nam Pompejo Macro Prætore consultante Tiberium, an judicia Majestatis redderentur? *exercendas ab eo illas leges respondit.* Tacit. *lib. 1. ann. sub fin.* Sic & Imp. Claudius apud Suet. in *Claud. cap. 16.* *refert, Rabirio Posthumo Majestatis crimen apud judices motum fuisse.* Quorum textuum evidentiâ meritò innitimur, cùm nullis novioribus constitutionibus abrogatos hosce, aut specialiter hujus criminis cognitionem judicibus ademtam esse, sciamus. Et ita statuunt Sixtin. *de reg. lib. 1. cap. 2. n. 18.* Bocer. *de regal. cap. 2. n. 248.* & alii plures. licèt non diffitear, insignem hanc difficultatem ex jure superesse, quam forsan nec vident, nec movent, multò minùs solvunt.

LIII.

Cùm enim constat, & ex infrà *thes. 65.* dicendis probandisque pleniùs constabit, eos, qui in imagine supplicii pœnam sustinuêre, pro hostibus haberi, & civitatis jus amittere, quomodo juxta brevi antè dicta *thes. 51.*, iis, quibus regalia, aut saltem merum imperium concessum, hæc executio competere potest? Eúmne E., qui merum saltem Imperium tenet, decet, Majestatis jura involare? bella decernere? hostes facere? jus sibi in ipsam civitatem arrogare, eaque reum expellere ac eliminare? Quomodo hæc consonant? quo mediatore atque arbitro reluctantia utrinque rationum momenta tranquillâ pace conciliabimus, aut quali nervorum artificio discors ac dissonans illud epos ad gratam amicamque harmoniam componemus? Jure sanè id non ei, sed soli principi, licuit, nisi specialiter simul esset concessum. *l. 1. §. 3. de legat. 3.* Præses Provinciæ, qui summum post Principem imperium in provincia habuit. *l. 8. ff. de Off. Proc. l. 4. ff. de Off. Præs.*, deportandi seu civitate privandi, jus non habuit. *l. 2. §. 1. ff. de Pœn. l. 6. §. 1. ff. de interd. & releg.*: Præfectus Urbi, summus magistratus in urbe. *l. 1. pr. & §. 4 ff. de Off. præf. urb.* specialiter quidem concessum habuit jus deportandi. *d. l. 1. §. 4. leg. 3. l. 2. §. 1. in fin. de Pœn.*, sed assignata demum ab Imperatore insulâ. *l. 1. §. 3. de Off. Præf. urb.*; & ex hâc utriusque diversitate nata est alia differentia, quòd

quòd sententiâ Præfecti ipso jure & ante approbationem principis jus civitatis, omnesque inde descendentes actus solveret. *d. l. 1. §. 4. in f. legat. 3. d. l. 2. § f. de pœn.*; Præsidis autem sententia non tollat civitatem, nisi secutâ comprobatione Principis. *d. l. 2. §. 1. pr. de pœn. d. l. 1. § 3. de leg. 3.* Ratio hæc est: Præsidis potestas extra civitatem fuit constituta, nec proinde de jure civitatis dispositio ejus valere, vel effectus quosdam producere, potuit, nisi Princeps approbaret. Præfectus autem Urbis ipsi quasi civitati præerat, adeoque valere quidem dispositio ejus de juribus civitatis, sed effectum in insulam mittendi habere, non potuit, quia extra civitatem potestas ipsius cessabat. *l. ult. Off. Præf. urb.* Hinc E. vel magis obfirmatur pugna, quòd potestas, quæ non est extensa per totam civitatem, id est rempub., non possit tota civitate reum expellere. Pro componenda lite dicimus, multa quæ sensim & separatâ suâ formâ constitutâ fieri nequeant, si complexu alterius negotii universalioris comprehendantur, amittere propriam suam formam, & induere naturam totius, indeque unà cum toto licitè fieri posse. Quod pluribus exemplis ostendi posset; Sicuti pactum non valet, ne doli agatur seorsim, valet autem, ne depositi agatur, si eo dolus contineatur. *l. 27. §. 3. ff. de Pact.* & multa, quæ in propria actione non veniunt, veniunt si generaliore negotiorum gestorum actione comprehendantur. *l. 35. per tot. ff. de Neg. gest* Ita vendi res sacra nequit, quia extra commercium est: at si modica loca, quæ sacra aut religiosa sunt, fundo continentur, nascitur ex emto actio. *l. 24. ff. de cont. emt.* Ita *l. 1. C. de ord. Iud.* ubi licèt præses non possit in statûs quæstione cognoscere, si tamen sub hereditatis cognitione contineatur, potest; quia tunc non de statu ipse, sed de hereditate judicat, de qua potest. Facilis est applicatio: Is, qui imperium merum habet, non potest hostem declarare, tota civitate imperii ejicere: at potest ultimo supplicio damnare, cujus ultimi supplicii executione, quæ in Rei effigie exhibetur, si continetur, ut pro hoste habeatur; non hostem ille judex facit, sed saltem sententiam capitalem in effigie exequitur. *arg. dict. l. 1. fin.* Illud autem dicere non sufficit, legem deportare, legem ejicere è civitate, non judicem, adeoque non hunc, qui regalia aut merum imperium habet, sed legem esse, quæ hostem facit. Nam & si crimini-

bus deportationis pœna à legibus constituta sit, Præses tamen cum effectu hanc sententiam ferre non poterat, nisi approbante Principe. Nec est, quòd quis dicat: qui vitam ipsam tollere potest, cur non etiam in effigie ipsa vi speciatim exequi posset. Nam & Præsides gladii potestatem habebant, & morte maleficos plectere poterant. *l. 8. §. 1. de pæn.* deportare tamen non poterant. De criminibus autem hæreseos, & blasphemiæ tractare, supersedeo: An sint communis fori? an verò ecclesiastici? de quo Clar. *l. 5. §. Blasphemia. num. 4. & §. Hæresis. num. 4.* Nam & forum ecclesiasticum vi jurium Episcopalium, ut ad jus territoriale pertinentium, hodie Principibus competit. Nec quærere lubet: An ab iis jurisdictio ecclesiastica per feudum alicui concedi possit? & an omnimoda jurisdictione concessa ecclesiastica quoque continetur? quod tractat Carpzov. *lib. 3. defin. 3.* Utriusque tamen juris pœnas concurrere posse probè notandum est. *cap. 2. x. de maled.* Clar. *d. §. Hæres. n. 4.*

LIV.

In quos autem executio in effigie fiat, non attinet singulari loco exponere. Ex traditis jam patet, fieri eam in reos istorum criminum, quæ prolixo jam tractatu persecuti sumus, scil. in Perduelles, Blasphemos, Hæreticos, secundùm earum limitationum leges, quas ibi attulimus.

LV.

Cùm E. de Judice, Reisque viderimus; de *Procuratore* nobis jam circumspiciendum, & quærimus: *An ad eam causam procurator admittatur?* Et quidem non hoc quærimus: An quemadmodum defensor, ratione absentiæ, intervenire possit in iis criminum judiciis, in quibus absens damnari non poterat, ita & hîc procuratoris opera, ad allegandas absentiæ causas, uti liceat; sed in eo cardo vertitur: An procurator cum mandato ita admittendus ad defensionem rei, ut etiam merita causæ principalis tractet, de rei innocentia judicem instruat, ejus causas alleget, probationes offerat, adversarii elidat, testes pro reo producat, contra adversarii excipiat, &c.? Et putem in his casibus nihil obstare, quò minùs admitti & possit & debeat. Cùm enim in hoc processu, absens damnari de ipso crimine possit: E. etiam innocentia attendi, probari, defendique debet. Nemo enim criminis, v. gr. homicidii, quem condemnat,

mnat, nisi evidentissimè appareat, eum nocentem esse, homicidiumq; reverà commisisse. Cujus consequentiæ necessitatem porrigit nobis Ulpian. *l. 32. §. 2. ff. de procur. Ubi absentes à quibuscunque defendi, publicè utile esse, asseritur, ac in capitalibus quoque judiciis defensionem dari*, & sic concludit: *Ubicunq. E. absens quis damnari potest, ibi quemvis, verba pro eo facientem, & innocentiam excusantem, audiri, aquum est, & ordinarium admittere.* Quod autem hîc de defensore accipi posset, id de procuratore expressè dicitur in *l. 3. C. de Accus. Reos capitalium criminum, absentes etiam per procuratorem defendi leges publicorū judiciorum permittunt.* Rectè itaque in *d. l. 33. innocentiam excusari*, retinemus, non autem substituimus cum Cujac. *absentiam excusari.* Nec illorum sententiæ accedimus, qui intelligunt, innocentiam tantùm per consequens defendi, dum scil. excusatur absentia; cùm tota legis intentio sit de innocentia, non de absentia, ad quam contortè trahitur. Huc 2. facit textus, æquè expressus, si non cavilletur, in *l. 39. § fin. ff. de procur. ubi dicitur, non admitti procuratorem, aut defensorem, si quis in causa tutela accusetur, tanquam suspectus*, sub hac exceptione, *nisi absente tutore, quasi non defenderetur, prætor esset cogniturus.* Ubi E. absentis metuitur damnatio, ibi reus in causa principali, per procuratorem vel defensorem defendendus est, etsi aliàs ille non admitteretur. Hocque 3. confirmat tota juris in omnibus causis convenientissima ratio. Sic in crimine, quod pecuniariam pœnam habet, potest damnari absens; inde E. defendi potest, & procurator citra hæsitationem admittitur. *l. 1. ff. an per al. caus. app.* In eo crimine, quod graviorem relegatione pœnam habet, non potest damnari absens. *l. 5. pr ff. de Pœn.*; E, defensione non indiget. *d. l. 1.*: sed in hoc crimine etiam de contumacia absens damnari potest. *l. 10. l. pen. ff. de Publ. judic.*: E. in causa contumaciæ ritè intervenit procurator. *d. l. 10.*, qui defendit & allegat causas justæ absentiæ, non innocentiæ; imò hoc casu favore reorum absentium quilibet, etsi posset prohiberi, v. gr. ob defectum mandati, cautionis de rato &c., defensor recipitur, qui prodesse potest reo, non nocere. Nam si ille, absentiæ justas causas allegaverit, easque judex approbaverit, reus non habebitur contumax, adeoque prodest. Si autem malè defensor egerit, causas non prægnantes allegando, indeque

fuerit

fuerit contumaciæ condemnatus, poterit reus, si reversus fuerit, justiores absentiæ causas allegando probandoque, contumaciæ culpam declinare: indeque illi nihil nocet, quod antè actum est: cui, ut aliàs semper, licet defensoris sui facta, rata non habere, quia sine ejus mandato judicium suscepit. Vid. *d. l. 10. l. pen. §. 1. ff. de publ. iud. l. 33. §. 2. l. 71. ff. de procur. l. 1. an per alium. cauf. app. l. 3. C. de accuf.* Struv. *Exc. 7. th. 32.* Donell. & Hillig. *lib. 18. cap. 11.* Carpzov. *pract. crim. p 3. quæst. 105.* ubi latè tractat de procuratoribus & in quibus causis recipiantur. In nostris igitur criminibus, in quibus absens de jure ipsius criminis damnatur, damnationemque executio in effigie sequitur, ipsa vi necessariæ consequentiæ procurator ad ipsius etiam causæ tractationem admittendus est. Add. *l. 19. ff de pœn. arg. l 6 ff. de Appell.*: Ut præter hasce sat evidentes & sat evincentes, ut puto, rationes, verba legum alicubi expressè & nominatim id ajentia, sectari necessum non habeamus, quāvis & illa jus nostrum liberaliter suggerat; & quidem in *Extrav. Henr. VII. cap. adreprimendum. quom. in laes. Mai. crim. proc.* ibi: *si neglexerit personaliter vel legitimè comparere.* Dicit E., quòd in eo crimine, de quo agimus, & in quo absens potest damnari, possit etiam is, qui personaliter non comparuit, adhuc tamē legitimè comparere alio modo, quàm personaliter, sc. per suum procuratorem cum mandato. Et dum illa lex minatur, se quoque processuram ad examinationem testium &c: si vel personaliter, vel legitimè venire neglexerit: nonne utique magis jussit lex, ut vel saltem legitimè per procuratorem veniat, quàm prorsus emaneat? Vasq. *illustr. cont. lib. 17. c. 17. n. 4.* Nec illæ rationes, quæ generaliter procuratorem à causis criminalibus arcent, in hoc speciali processu quicquam valent, quas passim Autores adducunt & collegit Brunn. *proc. inq. c. 8. n. 6. n. 5.* Add. *Gail. P. P. lib. 1. c. 10. n. 1. & seq.* 1. Procuratorem in criminalibus idoneè satisdare non posse, quia se ad pecuniariam pœnam potest obligare, ad corporalem non potest. Nam nec hic procuratorem, quemadmodum & defensorem, ubi causas absentiæ allegat, satis dare debere putat: & communem dicit Albert. *l. 33. §. publice. ff. de procur.*, quem post *Greger. Lupum*, & alios citat Ferd. Vasq. *in ill. constr. lib. 17. c 17. n. 3.* 2. Hac ratione reum se nunquam sistere velle, sed expectaturum,

rum, an contra se res ceciderit? indeque nec rei judicatæ executioni locum esse, ac judicium eludi. Nam hoc in nostro executionis in effigie casu metui non posse, notum est, in quo executio licèt corporalis pro tempore non fiat, in effigie tamen suppletur. Quin insuper cur ea sententia frustratoria dicenda est, quæ habet effectum executionis sententiæ ratione publicationis bonorum, irrogationis infamiæ, ademtionis jurium civitatis. &c.? de quib⁹ infrà. 3. Rei Præsentiam ad probandum crimen requiri. Nam d. lex etiam citra præsentiam aliquando crimen probari ob sui notorietatē docet, & in genere in his caussis, omnib⁹ adminiculis probatio sublevatur. 4. Per procuratorē absens mentietur, quæ præsens dicere erubesceret. Quasi mendaciis standum, nec ex ipsa re probationes eliciendæ essent; procuratoris verò mendaciis juramentum calumniæ januam facilè, si frugi sit, præcludet. Nec obst. in specie *l. pen. §. 1. ff. de Publ. iud.* Nam loquitur de iis, ubi absens non potest damnari, ut *supr. thes. 25.* probatum. Quamvis illud non negem, eum propriè procuratorem non esse, qualis dominus litis audit; sed, quia tamen cum mandato, ut diximus, ad causam procedat, illud profectò non video, cur eum non procuratorem, sed defensorem tantùm, dicere velit Brunnem. *proc. inqu. cap. 8. m. 6. num. 9.*; cùm tamen secundùm eum omnia procuratoris munera obeat, & mandatum adesse supponamus. Idem dicerem, si ex statuto, prævia criminis cognitione, absentem de crimine damnare liceret. Vasq. *d. l. num. 1. & seq.* Sed cùm in mortuum quoque hoc judicium fundetur: An, si damnandus hoc modo defunctus veniret, procuratores recipiantur? Et Clarus hoc in casu procuratorem admittendum esse vult *§. fin. quæst. 32. n. 15.*, qui tamen, ubi ex statuto absens damnari quis debet, statuit: procuratorem intervenire non posse. *num. 11. d. q.*: Dicitque, *heredes procuratorem rectè constituere, qui mortuum defendat*, idque in facto obtentum fuisse probat nobili exemplo ipsius Papæ Bonifacii VIII, coram Clemente V. Pontifice post mortem hæreseos Romæ accusati. ex Alber. *in rubr. C. de haret. num. 15. & ad l. 33. §. 2. n. 17. infin. ff. de Procur.* tum ex Rubeo *ad l. pen. §. ultim. num. 83. & seq. ff. de Publ. iud.* Quomodo autem in damnatione memoriæ quoad omnia procedendum sit, vid. Gig. *de crim. laes. Maiest. in verb. qualiter in crim. læsa*

 Maiest.

Maiest. procedatur; ubi etiam ad alia, memoriæ damnationem habentia, excurrit. *quaest. 21. & seq.* Angel. in *l. fin. C. ad l. Jul. Mai.* Dd. in §. 5. *Inst. de hered. ab intest.* Cæpoll. *cons. 17.*

LVI.

Ad ipsum *Processum* procedentes, illud quidem inter omnes constat, citationem, uti in omni judicio, sive civili, sive criminali, omitti non posse, & in tantum eam ubique requiri, ut ejus neglectus totum vitiet judicium, quod latissimè persequitur Clar. *lib. 5. §. fin. q. 31. n. 1. & seqq.*, ita & hîc summè necessariam esse. Clem. *c. pastoralis. de re iud. d. extrav. Henr. cap. 1. quom. in las. Mai. crim. proc.* Sed illud forsan majoris difficultatis, quomodo plena ac sufficiens probatio hoc loco poterit haberi, quam antè, reo non præsente, haberi non posse, diximus *th. 29. num. 1.*? Et quomodo defensio, qui absens, nec ejus responsionibus auditis, damnatur? *d. th. num. 2.* An E. sine legitimis probationibus criminis damnari? an sine defensione ad supplicium eum rapi dicemus? quorum utrumque juris naturalis problema est, nec stricturam aut correctorium Juris Civilis calamum admittit. Quod dum expedio, brevissimè de processu quædam prænotemus ac præmittamus. Indicio itaque delato, dum de inquisitorio judicio sermo est, si de delicto judici constare cœpit, generaliter sibi inquirendum esse, censet, tum in qualitates delicti, tum loci ac temporis circumstantias. *l. 1. §. 24. l. 5. §. 2. ad SC. Silanian.* Brunn. *in process. inq. c. 7. n. 3.*; & hactenus par utriusque est ratio, sive præsens, sive absens sit, quia, ut maximè secretò fiat, maximè expedit. Nec in disquisitionem cadit: *an ille fecerit? sed generaliter, quis id fecerit? Alterum enim magis suggerentis, quàm inquirentis, videtur.* Ut Divus Traj. rescripsit *in l. 1. §. 21. ff. de quaest.* Cognito exinde contra quem processus formandus, ille, vel verbaliter, vel realiter, si opus, citandus est: si absens, literis, nunciis, edictis. Comparente eo super articulis interrogatur, ac responsionib⁹ suis quasi litem contestari videtur. Si non compareat, in cæteris criminib⁹ ad contumaciam proceditur; hîc a. nihilominus progressus ad sententiam ipsam rectè aperitur. Quanquam hîc opus, hic labor est. Nam cùm reum primò interrogare, & ab eo incipere judex nequeat, non facilè succurrit, quid reus negasset? & de quibus

bus potissimum testes interroget? quia, quæ reus facta fatetur, ea probare necesse non est; maximè, cùm examē testium regulariter non fiat, nisi lite contestata. Hæc enim difficultatem creare possunt, impedimentum tamen processui objicere non possunt. Sed præterquam, quòd etiam quorundam locorū consuetudine receptum sit, ut etiam ab examine testium initium capi possit antè examen rei, ut Clar. §. *fin. quæst. 11. n. 2.* testatur: ita illud expressè hoc in loco jubet Imperator. *Si persona per nuncium, vel per literas, vel etiam per edictum publicè propositum, citata, in termino comparere neglexerit, contra ipsam perinde, acsi præsentialiter omnibus interesset, vel lis legitimè foret contestata, tam ad receptionem testium, & eorum publicationem, & sequentia procedi.* Etsi igitur cœteroquin *I.* reus priùs interrogetur, non autem à testibus initium fiat in speciali inquisitione; quemadmodum aliàs in civilibus non devenitur ad testium probationem, nisi ipse reus litem contestatus sit, ac secus si fiat, regulariter nullitate processus laboret. *II.* Nihil probent testes recepti citra præsentiam partis, vel saltem ad hunc actum, parte non citata in civilibus. *cap. 2. x. de testib.*; & multò minùs in criminalibus: cùm de præjudicio infinitè majori agatur: ut colligit Farinac. *lib. 3. oper. crimin. quæst. 42. num. 87.*: quod quidem aliis non tanti est, ut inde processus annulletur. Farin. *d. l.* *III* Jurent in rei præsentia testes, se candidè veritatem dicturos. *l. 18. de testib.*, quod omissum itidem non vitiat processum, si tamen suspicemur, eos non jurasse, adhuc jurare debent: ita, ut antè depositiones suas jurent. Farin. *lib. 2. qu. 74. num. 15.* *IV.* In publicatione attestatorum ea, quæ deposuére, testimonia præsente reo prælegantur. *V.* Confrontatio fiat: cujus omissio non tollit processum. juxta Clar. *§ fin. quæst. 45. num. 15.* plurimum tamen confert ad imaginem veritatis. Tabor. *in tr. de confront. part. 3. th. 22. pag. 91.* Ea tamen solùm hìc remissa est, quâ reus cum testibus confrontetur, nam testes inter se confrontari possunt, & debent. Adde *l. 27. §. 7. ff. de adult. l. 16. C. de pœn.* De quibus vid. Ambrosin. *pract. lib. 2. cap. 9. n. 6.* Chartar. *in Pract. interrog. reor. lib. 3 cap. 1. n. 13.* Clar. *d. l.* Brunnem. *proc. inquis. cap. 8. num. 2. per tot* & si quæ alia sunt; Etsi, inquam, hæc omnia cœteroquin fiant, tamen

 ipsa vi-

ipsa vi atque argumento, quòd in absentem procedi permittatur, hoc in processu spontè exulant. Cœtera verò ad vulgarem morem expediuntur. Unde jam facilè colligere est, quid restet? unde probationes elici possint? Equidem in hac processûs specie, non tam plana ac compendiaria via est, sed ea quodammodo per ambitus ac anfractus, ad scopum tamen, ducit, ut eò attentiorem præsentioremque animum desideret. Absit autem, ut ex eo, quòd facillima probandi methodus in quibusdam partibus deficiat, omnem planè probationem desiisse argumentemur. Nam licèt à rei præsentis interrogatione incipere judici copia non sit, ut non tam facilè succurrat, quid ipse reus negaret? quia, quæ sua sponte reus confessus esset, eorum probandorum operâ relevamur: adhuc tamen scrupulosum testium examen prudentes judices eò dirigere, atque ita omnia expiscari norunt, ut, quid ante ac post crimen dictum factumq; sit? quâ occasione, quóve animo ad id reus devenerit? quibus circumstantiis? quæ qualitas, quævé impellendi causa? quæ ratio perficiendi? quibus instrumentis ac adminiculis? quorum ope, aut instinctu? quibus sociis? quo loco, ac tempore? quibus præsentibus? in luce omnium ponatur. Ac ita sciunt judices singula ponderare, & quæ testantium vita anteacta? cognatio? amicitia? inimicitia? infamia? inhabilitas? inspiciendo; indeque quantum fidei iis adhibendum, colligere, tum in anteactam vitam quoque ipsius rei, mores, parentes, educationem, indolem, inclinationes, affectus, inquirendo; probabilitatem desumere. Quin & testes inter se confrontando, & singulis minutissimisque circumstantiis inhærendo, inquirendo, commemorando, iterando, tantas probationes elicere, quin diffiteri crimen, commodasque responsiones adducere posset, si reus præsens esset. Quamvis, ut sæpè dixi, præsente reo hæc perfectiùs queât haberi; ubi solet ipse reus priùs examinari, pòst testium examen suscipi, deinde ipsius rei denuò repeti, testium depositiones reo prælegi, reus cum singulis testib⁹, testesque inter se, separatim, non conjunctim aut in turba, confrontari: quò faciliùs in crimine deprehendatur. Quod latissimè apud Criminalium rerum Dd. docetur. Atq; hinc, ut sc. pluribus adminiculis promoveatur, ac facilitetur probatio, in hisce criminibus etiam testes inhabiles admittuntur. *l. 7. ad l. Jul. Maj.*, & sec-

& servi torquentur in caput Domini, testes aliquando tormentis subjiciuntur. *l. 10. §. 1. de quæst.*, ex domo rei probationes desumuntur. *l. 7. C. de test.* Boss. *in pract. crim. tit. Examine reorum. num. 9.* Accedit quòd in hisce criminibus instrumentorum probatio subsidio sit, licèt probatio per instrumenta communiter non admitatur in criminibus: quod ita verum putat Dynus, *ut notari illud ac observari pro Evangelio iubeat.* Vid. Petr. Gilken. *ad l. fin. C. de prob. n. 3.* per *l. 3. §. 3. ff. de test. l. 6. C. de custod. reor.* & hîc in specie per *l. 1. §. 1. verb. literas ff. ad L. J. Maiest.* Defensio autem ex iisdem fontibus quoque deducitur. Dum enim judex in rigoroso illo testium examine ad omnia circumspicit, & dicta eorum diligentissimè excutit. *l. 3. ff. de testib.*, notatque summa curiositate tam ea, quæ reo prosunt, quàm quæ contra eum faciunt, facilè inde argumenta vel ipse judex deducit, qui se æquè facilem reo præbere debet, quàm fisco, vel etiam procuratori ipsius rei, si quem miserit. Qui, si novas defensiones opposuerit, omninò audiendus videtur, ita, ut etiam super iis denuò testes sint interrogandi, ne quid maneat intactum, aut non discussum. Quas omnes probationum defensionisque perfectiones atque defectus Imperatorem omninò ob oculos habuisse, nullum dubium est, dum legem illam ob utilitatem publicam rogavit, indeque sufficientes judicavit. Quod si verò adhuc ex talibus planè veritas haberi non possit, ut aliquando contingere posse certum est, hoc casu judicium abrumpendum est, nec ad sententiam, vel executionem deveniendum; &, cùm hoc capitale gravissimumq; judicium sit, ubi, si non manifestò appareat, proniores sanè ad absolvendum, quam ad damnandum esse debemus. Quod etiam optimè ac piè observatum in formula sententiæ, à Carpzov. relatæ in *pract. cr. p. 1. quæst. 41. n. 107.* in talem latæ, qui in hac causa Majest. indiciis ita gravatus videbatur, ut ea elidere, si in vivis adhuc esset, necessariò coactus, imò etiam torturæ ea de causa addictus fuisset; deficiente tamen plena, & infallibili probatione ac defensione, nec moto processu, dum vitam agebat, petita confiscatio denegata fuit.

LVII.

Unde facilè deciditur quæstio: *An reperto prehensove reo post damnationem, executionemque in effigie celebratam,*

 statim

statim in corpore executio suscipienda? an denuo cognitio præmittenda, defensionesque præsentis audienda sunt? Durum quidem quibusdam hoc videri prima fronte potest, cùm fortè haberet, & quæ opponeret sententiæ, & quæ allegaret iñocentiæ ostendendæ. Sed quia jam causa tota pertractata sententiaque secuta est, nihil est, quod restat, nisi executio. Hinc Gail. ubi de simili causa agit, dicit: *non ampliùs disputandum esse, quia jam disputatum est.* Semel enim negotium per sententiam definitivam decisum ac terminatum est. *l.1. pr. ff. re jud.* Unde non potest cognitio jam demùm incipere, quæ dudum finem accepit. *d.l.1*; & repugnat plures in eadem quæstione esse cum effectu sententias definitivas. *l.6. ff. Exc. rei jud.* Si enim priorem sequitur alia sententia, illa non fuisset definitiva; cùm negotium non definiverit. Et quemadmodum in cæteris, post latam, & in rem judicatam abeuntem, sententiam, non jam ampliùs quęritur: An justè vel injustè judicatum sit propter autoritatem rei judicatæ, sed tantùm an judicatum sit? ita & hîc post sententiam nulla est cognitio. Sed & cessat officium judicis semel latâ sententiâ definitivâ, & judex is esse definit. *l.55. l.56. ff. de Re jud.*, adeò, ut jus hoc sit proprium, ac quasi reservatum Principis, sententiam latam mutare, eique aliquid addere vel detrahere. *l.45. §.2. eod. l.27. pr. ff. & l.15. C. de pœn.*, etsi ipsi judici pôst de innocentia appareat. *l.1. §. fin. ff. de quæst.* Denique quid prodesset judicium in absentem dari, si novum adhuc redeunti expediretur atq; aperiretur? Captus E. vi sententiæ semel latæ, citra ulteriorem cognitioné, ad supplicium ducitur. quod itidem contigit in *exemplis præallegatis.* Nec durum id cuipiam videri potest, quòd non duo hîc in una causa judicia constituta sint. Ex legitimis autem probationibus damnatum quem esse debere, quibus &, si præsens esset reus, convinceretur, quemadmodum & ipse *mortuus convinci posse* dicitur in *l. ult. C. ad l. J. Maiestat.*, *ex thes. prae.* satis constat.

LVIII.

Quid ex opposito, ita processu in absentem instituto, cùm sicut damnari, ita & sine dubio absolvi poterit, si scil. ex actis de ejus innocentia appareat; *An E. & tunc, si redeat, iterum flagitari ejusdem criminis possit, obstetque exceptio rei judicatæ?* Immunem nos talem pronunciemus, nec ampliùs ei

judicii

judicii aleam extimescendam esse, putemus. Qui enim semel in judicio alicujus criminis absolutus est, amplius super eodem inquietari nequit: quod in omnibus judiciis, in quibus sententia absolutoria fertur, obtinet. Idque evincit *l. penult. §. fin. nauta caupon.* & totidem ferè verbis astruit *l.6. C. de Accus.* & juvatur illo rescripto D. Pii *in l.7. §.2. ff. de accus. & c.6. x. de Accus.* Quibus non *Obst. l.11. C. de accus.* Vid. Ant. Matt. *tr. crim. tit.16. v. 4. n.6.*; si tamen de delicto ipso absolutus fuerit, non de instantia, vel quòd vitium in processu commissum, vel quòd admissum crimen impræsentiarum ob non præsentiam rei aut defectu probationum probari non potuerit: quia tunc, quandocunque nova indicia accessére, semper replicari recipique ad manus accusationis tela possit. Quod, in hisce casibus in specie aliquoties contingere mirum non est, in quibus manifestę requiruntur probationes, quæ ob rei absentis deficiens examen, aspectum, *l. 10. §. 5 quæst.* confrontationem cum testibus, interdum tam perfectè non habentur, sed nebulis, erroribus ac dubiorum labyrinthis non carent, ut judex inde talem nec damnare debeat, nec absolvere ac innocentem pronunciare possit. Prius autem illud obtinet, sive ab eodem sive ab alio, sive per denuntiationē sive per inquisitionem susceptum resuscitatumque judicium sit; nam prior accusator exceptionis rei judicatæ ope rejicitur; & novus non quidem hac exceptione, quia res inter alios acta aliis non nocet, sicut hoc in casu ratiocinatur Ulp. *in l.7. §.2. ff. de Accus*, sed quia semel reo facto nunquam victoriæ suæ præmio ac spe obtentæ tranquillitatis frui liceret. Confer. Farin. *l.1 q.4. n.23.* Hahn. ad Wesenb. *tit. de accus. n.10 adverb. ac qui accusatus est.* Quod autem Vallens. ad *tit. x. de haret. §.3. n. 3.* excipiat de *Haresi* putetq; in eo crimine nunquam sententiam absolutoriam in rem judicatam transire posse, meritò suspectæ autoritatis est fideique sublestæ, cùm hæc constitutio inter eas reperiatur, quæ in septimum Decretal. librum à Petro Matthæo JCto Lugdunensi congestæ sunt, nempe *Libr.5. tit.3. c.8.* De cujus autoritate adire juvat Celeberr. Dn. Strauch. *in amœn. jur. Can. ecl. 1. cap. 5.*

LIX.

In reverso & à Principe admisso ad novos Processus, *an ipsi incumbat innocentiæ suæ demonstratio, quasi pugnet con-*

tra

tra eum prior sententia, onusque probandi in eum rejiciat, an verò adhuc illa fisci est, vel accusatoris? Quam quæstionem tractat Alber. *in l. 1. n. 5. ff. de req. reis* & ex eo Clarus, *§ fin. qu. 44. n. 6.* quorum ille probationem illam partim Fisci, partim Rei esse ait, quod tamen, ut rectè notat alter, in effectu est, dicere fisco probationem incumbere: Hic autem rei esse eam statuit, nec sufficere reo, *si dicat, nihil in actis esse, quod contra se faciat, cùm sententiam contra reum esse, sufficiat.* Quæ tamen sententia, cùm magis contumaciæ, quàm causæ ipsius rationem habeat, neque, nisi post annum, eo effectu gaudeat. Vid. suprà *thes. 30*, nec hunc contumaciæ effectum observemus, ut rejiciat onus probandi in eum, qui aliàs non probaret; quin & ad consuetudinem restrictim loquatur, nil nobis præjudicat. Decisionem autem totam, ex ipsius principalis rescripti tenore, tum pendere, tum petendam esse, judicamus; videndumque, quid in eo contineatur. Nam, si restitutionem intervenisse appareat, in pristinum statum omnis causa poni videtur, quasi nec cognitio, nec sententia hactenus intercessisset. Quod si autem Princeps defensionis allegationem admisit, à qua per sententiam judicis exclusus erat (quod in dubio videtur secundùm dd. Autores) in suo vigore manet sententia, & si de innocentia manifestò docere non possit, executio in corpore præstò est ei, qui antè præsto non fuit, effigie vices ejus saltem sustinente.

LX.

Si provocare in quibusdam Provinciis Imperii à judice inferiore ad superiorem in criminalibus causis liceat, juxta jus Commune *l. 13. §. ultim. qui test. fac. poss. l. 6. ff. l. 29. C. de Appell. cap. 5. § præterea, cap. 13. & seq. x. eod.* Nam de hoc themate quoad mores nostros summis conatibus summos viros, Carpzovium *pract. crim. q. 139. num. 14. & seqq.* & Berlichium *decis. aur. decis. 231. & in conclus. pract. concl. 50. n. 31. & seqq.* ubi etiam multa præjudicia allegat, inter se digladiantes videmus; quod sine dubio ex jure Civili illic obtinet, ubi speciali loci consuetudine hoc abrogatum esse non liquet, ac in terris Saxoniæ frequentari, testatur Oldekop. *peculiari tract. de Appell. in crimin*, & *num. 8.* ei sententiæ confirmandæ plurima præjudicia affert; quam Berlichii sententiam quoque approbat Brunneman. *proc. civil. c. 28. num. 11. & seq.* ac longè tutiorem

tiorem dicit, putatque in Camera quidem processus pro appellatione non decerni, ex Gail. *P.P. l. 1. c 20.* Mynſ. *cent. 4. obſ. 41.* quia de criminibus, pœnam ſanguinis inferentibus, Camera non cognoſcit. Ord. Cam. *part. 2. tit. 28. § penult.* & hoc modo Gaillium & Mynſingerum intelligit: quin & conciliare Carpzov. & Berlich. tentat idem Brunnem. *in proc. inq. c. ult. n. 19.* Confer. Mævius *part 2. deciſ. 321.* & præſertim *part. 2. deciſ. 272.* ubi communem errorem perſtringit. Noſtrum hîc non eſt, tantas componere lites, ſed, ſuppoſito, licere appellare, Quærimus: ***An per huiuſmodi appellationem interpoſitam hæc noſtra in effigie executio ſuſpendi poſſit?*** Videtur dicendum, ne tunc quidem appellationem interponi à reo poſſe ad executionis in effigie ſuſpenſionem. Nam, ut inter omnes conſtat, ad ſententiam hanc non devenit judex, adeoque nec ad ejus executionem, niſi per trinam citationem, edictóve perēmtorio ad tribunal reus evocetur. At illud juris certiſſimi eſt, quòd reus peremtoriè citatus, ſi non compareat, ſecutâ condemnatione appellare non poſſit. *l. 23. §. ult. ff. de appell. l. 1. C. quor. app. non recip. l. 73. §. ult. ff. de iudic. l. 13. §. 5. C. de iudic. l. 53. pr. & §. 1. ff. de re iud.* Treutl. *vol. 2. diſp. 33. th. 3. lit. E.* & Bachov. *ibid.* Struv. *Exerc. 50. § 9. circa f.* Add. *l. 7. pr. ff. de Reſt. in integr.* Inſuper ex eo hoc arguitur, quòd appellatio tantùm concedatur vel propter iniquitatem vel propter imperitiam errorémve judicis. *l. 1. pr. ff. de app.*, adeoque non propter contumaciam ipſius rei. Quis enim per iniquitatem aut imperitiam judicantis læſum ſe conqueri poterit, qui contumaciter venire, ac ſe defendere, noluerit? Quippe id ſuum, non judicis, profectò delictum eſt. Et quidem, ſi reus, impetrato ſalvo conductu, adeſſe tutò, defenſionique ſuæ præeſſe, cauſamque adornare valeat, & nihilominus contumaci animo abſens condemnatus fuerit, omne appellationis auxilium ceſſabit, per *rationes & text. alleg.* Si verò metuat violentiam & iniquitatem judicis, & ideò venire nolit, non denegandum ei, puto, appellationis ſalutare remedium, quia tunc coram alio judice corrigi poteſt hæc iniquitas. *arg. d. l. 1. pr.*, & tunc propriè contumax non eſt; is enim demum dicitur contumax, qui venire recuſat, quòd judicem contemnat, non verò, quòd violentiam ejus metuat. *l. 53. § 1 & § ult. ff. de re ind.* Gail. *1. obſ. 132. n. 7.* Quod & ratio *d. l. 23. §. ult. ff.*

M *de ap-*

de appell. ostendit, ubi ideò provocatio reo contumaci denegatur, quia poterat se præsentando ante diem effectum edicti præoccupare: secus E. si non ex contumacia contemtuque, sed metu judicis, indeque propter ejus potiùs iniquitatem, abest. Nec hîs obstat *l. ult. §. 1. ff. de Appell.* Ubi etiam verè *contumacis provocationem nihil impedit.* Resp. enim non illic de contumace agitur, qui venire ad judicium contemnit, sed qui jussus, non vult exhibere instrumenta: quia iniquum hoc esse decretum contendit. nam præsens se defendit ac respondit, ideoque non obstante ejus defensione judex editionem injunxit; hanc E. iniquitatem appellatione incusat. A' quo autem tempore? ut in appellationibus solet, currat fatale, *an à die executionis? an à die sententia? an verò, quia absens est, decennium illud non currat? aut an adversus id propter absentiam restituendus sit?* speciatim hîc tractare animus non est.

LXI.

Anne autem, deficiente propter contumaciam rei appellatione, locum saltem habet beneficium *l. 6. ff. de Appell.* ita, *ut dum ad supplicium raptatur imago, intervenire possit defensor & provocare?* Ratio dubitandi inde vires sumit, quia hoc beneficium etiam invito condemnato competit *d. l. 6. pr.* nec tam ipsi reo, quàm cuivis alii, verba pro eo facienti. *d. l. 6. vers. verùm alii.* cùm aliàs renuncianti reo non detur appellatio. *l. 1. §. 3. à quib. app. l. ult. §. ult. de temp. app.* Marant. *spec. aur. p. 6. de appell. n. 3.* Scacc. *de appell. q. 17. n. 12.* Hill. ad Donell. *l. 28. c. 6. lit. O.* Quare nihil poterit obesse contumacia rei, si etiam eo invito hoc remedium concedatur. Accedit & hæc ratio, quòd executio, in effigie facta, involvat necessariò executionem, in ipso reo faciendam, citra causæ cognitionem, adeòque misero reo gravissimum damnum ac irreparabile præjudicium conciliet. Verùm, iis nequicquam obstantibus, dicim⁹, beneficium hoc in executione imaginis planè locum non habere; adeò, ut & tunc, quando provocandi facultas datur, scil. si non per contemtum judicis abfuit reus. *th. prae.*, hoc tn. beneficium cesset. Nam hoc remedium respicit tantùm præsens rei supplicium, quo facto, nulla ampliùs superest ratio corrigendi erroris, & restituendæ innocentiæ, si qua fuit; adeoque executionem irreparabilem: hoc E. ne contingat, quævis defensio potiùs admittitur & suppli-

ſupplicium differtur. Aliud eſt in ipſius effigie; non enim adeò propterea periclitatur reus, ut reſtitui ac damnum reparari ulla ratione nequeat. Et aliud longè eſt contumaciter abeſſe & negligere poteſtatem judicis; aliud tædio vitæ ad ſupplicium feſtinare: illi non magis hoc beneficium, quàm ordinaria appellatio, datur; huic autem in ſpecie illud datur, ne judex non tàm propter delictū, quàm quia reus tædio vitæ defenſionem ſui neglexit, condemnet. Unde iterum aliud eſt, ſi ultrò, causâ adhuc integrâ, renunciet: non enim ultrò videtur renunciare, qui, vehementiſſimis doloribus & tædio vitæ adactus, mortem expetit. arg. *l. 6. §. 7. ff. de re mil.*; quanquam in cauſis capitalibus ſpeciale ſit, etſi renunciaverit; quia jus plenarium ipſi in ſua membra non eſt; & uti licitum non eſt, ſibi ipſi mortem conſciſcere *d. l. 6. §. 7.*, ita non magis poteſt quis, ut per alium id ſine juſta cauſa fiat, permittere, aut renunciatione ſua efficere; perinde enim eſt, an quis ſeipſum interficiat: an contra interficientem ſe non defendat. *arg. l. 60. Reg. Jur. & ſimil. text.* Quid E. ſi poſtea captus ad ſupplicium ducatur, anne tunc ſaltem locus erit huic beneficio eo ſaltem caſu, quo metu judicis, non per contemtum, abfuit? Et cùm beneficium hoc ſola humanitate nitatur, & præſens periculum irreparabile reſpiciat, tutius videtur, hoc quoque caſu id non denegari.

LXII.

Ad *Sententiam* ipſam usque jam proceſſimus. Hæc a. varia continere ſolet. ut ex relatis ſuprà videre eſt; ad tres tamen ſpecies pœnarum ſententia omnis in hoc crimine reducitur. *I.* Ipſa pœna principalis in corpore vel effigie executioni tradenda, quæ eſt ultimum ſupplicium. *§. 3. Pub. jud. l. 3. pr. ad l. J. Maj. tb. 23.* Cujus modus variat pro criminis conditione; infligi n. ſolet vel pœna gladii *l. 5. C. eod.* uti in Dania Ulefeldô & Duci Valetteo in Gallia: & vel vivi crematio, ut Theophilo, Franciſc. Joſeph. Borri, Petr. Aponenſi, & vel membrorum ſive inclinatis arboribus, ſive admotis quatuor equitibus (quam διασφενδόνησιν vocant) in partes divulſio. ut in Duce Aumalio, & Rohanæo; vel ſuſpenſio, ut in Bartoloto, & de la Veüe. Hæc autem ſemper alternativè ponitur in ſententia, ut fiat in corpore, aut, eo deficiente, in effigie. Nonnunquā etiam cuivis de populo executio committitur, ac præmio invitantur omnes illi ad occiden-

dum. II. Accessoria pœna est condemnatio memoriæ, quæ est abolitio eorum, quæ honoris & memoriæ, causâ habentur. Hæc enim accedit huic pœnæ capitali, uti aliâs infamia pœnis annexa esse solet. Cûm E. varia sint honoris ac memoriæ monumenta ac symbola, variæ quoque ejus abolendæ rationes inventæ, ex quibus pro re nata his in casibus quædam eliguntur, aliis omissis. 1. Imagines, statuæ, clypei, colũnæ detrahuntur, confringuntur. Quod ferè duplici processu fieri solebat: vel vulgi impetu, absque certa lege ac ordine: ut ex suprà adductis videre est. Cujus furori aliquando conniventilli, qui reipub. præsunt. Sed hîc judiciari⁹ modus non est. Vel certo magistrat⁹ decreto, qui per carnifices vel apparitores in publico conspectu id exequitur: ut de Domitiani statuis eversis, *Senatus scalas inferri, clypeosque & imagines eius coràm detrahi & affligi solo iussit.* Suet. *in Domitian. c. ult.* Et Cic. II. *Verr. Centuripinorum Senatus decrevit, populusque iussit, ut, quæ statuæ Verris essent, eas Quæstores demoliendas locarent; dumque ea demolitio fieret, senatores triginta, non minùs, adessent.* 2. Nomen publicis privatisque locis, fastis, aliisque honorum monumentis, deletur, eradicatur. 3. Eodem modo tituli abolentur, *eradendos ubique titulos.* Suet. *d. l.* 4. Insignia ac sigilla franguntur. Ita Cromwelii signum, quo in negotiis regni usus, post mortem fractum: idemque etiam novissimè Hafniæ in executione illa, quæ jam cœpta erat, contigisse narratum est: quæ pôst, gratiâ regis nunciatâ, in ipso actu revocata est. 5. Festa sacra, omniaque, ad honorem eorum instituta, v.g. propter victoriam, reditum, &c. profanantur: ut in *formula Atheniensium.* 6. Domus, vel una, vel plures solo æquantur, ut *penatium quoque strage puniantur & iusti supplicii notitia ad posteros perveniat*, ut in Manlii, Cassii, Mælii, Saturnini, Flacci exemplis, quos tali dicterio solatur Valerius Max. *lib. 6. cap. 3. §. 1. & seq.* 7. Accedit soli execratio, adeò, ut nullæ ædes in eo ampliùs ædificari possint: uti in sententia Ulefeldi, Colinii, &c. Hic mos antiquissimus videtur, nec in sacris literis quoque infrequens, quo loca, sicuti per consecrationem eximuntur commerciis hominum. *§. 8. Inst. de rer. divis. l. 6. §. 3. ff. eod. l. 73. ff. de contr. emt. l. 35. §. 5. ff. de V. Obl.*, ita etiam per execrationem. *Jos. 6. v. pen.* Ille enim effectus est illius decreti de non reædificando, ut ipse fun-

fundus deteſtabilis ſit, & à commercio hominum remotus, incapax ædificiorum habitationisque; Nec *quicquam in eo loco poni, dedicarique eorum, quæ in loco puro poni, dedicarique fas eſſet:* ut habet illud plebiſcitum Athenienſe apud Liv. *lib. 31. c. 44.* 8. Imponi quoque interdum ſolet columna hoc in loco deſtructo, quæ non honorem, ſed nefandi delicti horrorem, inſculptis literis loquatur: ut itidem in illo Ulenſ. & Colin. 9. Imò & illa loca, quæ titulis erectis olim fulgebant, eadem ratione devoveri, ac deteſtabilia eſſe juberi, deprehendimus; quaſi non ædificium fundo, ſed fundus ædificio, cederet. *Loca quoque, in quibus poſitum aliquid inſcriptumq́, honoris eius cauſa fuiſſet, deteſtabilia eſſe* in eodem plebiſcito. 10. Exercitationes publicæ ſolemnesque: *Sacerdotes publicos quotieſcunque pro populo Athenienſi, ſociisque exercitibus, & claſſibus eorum precarentur, toties deteſtari Philippum, liberos eius, regnumque, terreſtres navalesque copias, Macedonum genus omne nomenque.* Liv. *dict. loc.* *III.* Genus eſt confiſcatio bonorum, tum ipſius, tum liberorum. quæ ſola hodie in his criminibus Majeſt. læſæ, hanc executionem efflagitantibus, retinetur. *l. 5. C. ad L. I. Mai. Auth. Gazaros. C. de Hær.* (quam Wiſſenb. ad *l. 97. num. 9. de Reg. Jur.* ſpuriam vocat, & putat, Frider. II. conſtitutionem eam non eſſe, ſed canonem Innocentii III. Pontificis, nobis inter ἀκανόνας: aliis id tamen non probantibus) *Authent. bona damnatorum. C. de bon. proſcript.* Chriſtin. *ad eand. auth.* Perez. *ad eund. tit. num. 2.* cœteroquin abrogata. Novell. *17. cap. 12.* Nov. *134. c. ult. in fin.* Ord. Carol. *art. 218.* An verò adhuc locum ea habeat in blaſphemia ac hæreſi? Vide Brandm. *in manud. ad ius Canon. & cir. differ. hæreticorum improbiorum.* Quod tamen intelligendum de illa confiſcatione, quæ alterius gravioris pœnę acceſſoria eſt: v. gr. ſi capitis damnatis & deportatis bona adimantur, non ſi in ſpecie ex crimine publicatio irrogetur. Quod evidens eſt 1. quia in d. Nov. *134. cap. 13.* de tali confiſcatione agitur, quæ evenit ex illis caſibus, ubi pœna mortis aut deportationis definita eſt, quam ſcil. ſequebatur publicatio. verb. *qui in iis criminibus &c.* 2. Ex ratione Nov. *17. cap. 12.* id tantum improbat Imperator, ne iis, qui in corpore puniri meruerunt; impunitis bona auferantur pœnæ loco, indeque delictum non debitè puniatur; *ablatione enim bonorum non tam illi, qui*

deliquerunt, puniuntur, (utpote, qui vitæ amissione bonorum fruitionem omittere debebant,) *quàm illi, qui succedere his morientibus ex lege poterant*. 3. Non verisimile videtur, Justinianum voluisse, per hanc generalem constitutionem, cæteras Novellas, peculiariter quibusdam delictis bonorum publicationem irrogantes, tollere: cùm hîc generaliter saltem, non specificè, loquatur; & maximè cùm veterum saltem legum *scil. ff. & Cod.* mentionem faciat, quas corrigere voluit: quod argumentum Cujacio *add. Nov. 134.* mirè placet. Add. Gudel. *Jur. Nov. lib. 5. c. 15.* Hahn. ad Wesenb. *tit. ad L. Jul. Maiest.* Quam etiam sequitur Joh. Faber. *ad d. auth. bona damnatorum C. de bon. proscript.* Petr. Faber. *ad l. 97. de R. I. n. 7.* Diss. Anton. Faber. *dec. 73. error. pragm. 4.* ut Fabri pro hac quæstione familiare quasi certamen suscepisse videantur. Et admodum hîc titubat Clar. qui nostram de jure veriorem putat, dicitque communiter ita teneri; tandem discedit in alteram partem, eamque communem dicit. Et denique 4. cùm pecuniariæ pœnæ utique adhuc locum habeant, nec ullâ lege certus modus, aut terminus eis præscriptus sit, ultra quem multa extendi non possit, quid impedit, quò minùs delinquentes omnium bonorum jactura puniantur, si delicti modus talem pœnam efflagitet; maximè cùm sæpe eveniat, ut quantitas dictata omne patrimonium exhauriat. Conf. Carpzov. *pract. crim. p. 3. qu. 135. n. 28. & 29.* Cœterùm confiscatio in hac specie criminis & executionis fieri debet deducto ære alieno per text. expr. *in l. 17. ff. de Jur. fisc. In summa sciendum est; Omnium fiscalium pœnarum petitio creditoribus postponi debet.* nec potest aliter fiscus, quàm cum sua causa res occupare. *l. 3. §. ult. ff. ad SC. Treb.* Add. *l. 17. §. 3. ad SC. Treb. l. 48. ff. de iur. fisc. l. 77. §. 4. ff. de legat. 2. l. 9. ff. de SC. Syll. l. 2. C. solut. matr. l. 9. §. pen. ff. de tut. & rat. l. 5. C. de bon. proscr. l. 2. C. ad l. Jul. de vi.* Clar. *§. fin. quæst. 78. num. 29.* Estque hujus rei naturalis æquitas & certa ratio. Quod enim reus debet non ipsius est æs, sed alienum, scilic. creditoris; unde etiam æs creditoris dicitur, & respectu Rei æs alienum. *leg. 213. §. 1. V. S.*; neque proinde reo integrum, delinquendo jus quæsitum creditoribus adimere, & facto suo ad fiscum transferre. Denique non esset hæc pœna rei, sed potiùs creditorum: qui tamen nihil deliquerunt; pœna enim est malum, quod dolorem

infert

infert ei, qui punitur; atqui hâc pœnâ nûllum malum inferretur reo, cui perinde eſt, an creditoribus, an fiſco ſolvat: cùm omninò ſolvere cogatur; ſed tantùm creditoribus, quibus ſolvi debebat, & quibus pœnæ nomine illud aufertur. Rectè E. in ſententiis allatis, confiſcationi adjecta eſt clauſula deducto ære alieno, quod legitimè probari poteſt. Unde patet, iniquiſſimam eſſe illam Scotorum legem Majeſtatis, quâ hujus criminis damnatione facta, non tantùm ſubmotis uxore & liberis, ſed & creditoribus ſolida bona fiſco adjudicantur. Bodin. *de rep. lib. 5. c. 3.* In Gallia etiam in aliis accuſationibus bona fiſco adjudicantur. Unde quantopere locupletetur ærarium regium, latè diſſerit Bodin. *d. l.* ibique diſputat in genere, an bona potiùs cognatis relinquenda, quàm reipubl.

LXIII.

At quibus Effectibus? Ne quis adumbratam illam executionem meras umbras, typicum illud ſupplicium vanum, ſine omine nomen arbitretur, ac venditet, aut comicum quid, ac ludicrum cum Gramondo reputet, quid ſecum trahat, videre operæ precium erit. Quod dum inveſtigamus, omnium optimè ac minimè omnium confuſè facturos nos opinamur, ſi primùm contemplemur ſtatum ejus, conditionemque, in qua poſitus eſt, reſpectu illius civitatis, in qua per imaginem ad ſupplicium ductus eſt, ipſe brevi pòſt ducendus, & quibus fruatur juribus concivium quondam ſuorum ratione? Deinde, ſi in Albo alius reipubl. receptus civitateque donatus ſit, qua immunitate ac ſecuritate gaudeat? Tandem, an & quæ privilegia adipiſcatur, ſi jure gentium inviolabilem perſonam induat, & forſan Caduceatoris habitu, ramiſque inſignis olivæ ad priſtinas, ex quibus eliminatus eſt, oras accedat? Sed omnia adducere, minutim diſquirere, ſingulatimque iis inhærere, quid eſſet, quàm totum juris Civilis & Gentium Oceanum intra anguſtiſſimos paginæ unius atque alterius terminos cogere? qua in re mappis ſanè deſtituimur. Quædam E. ſeligamus, ne potiùs nihil, quàm omnia, ſcribere velle videamur: quorum alterum ſummè negligentis eſt, alterum ſummè arrogantis. Quâ E. ratione adhuc vivit, & ſuperſtes eſt, cui vita abjudicata eſt? Quo jure cenſetur, qui verum ſupplicium effugit, imaginarium

ſuſti-

sustinuit? 1. *Pro hoste habetur à civitate* ac 2. *bannitorum minis* suppositus eo ipso, quo verè commissi, non fictè probati, criminis reus est, judicii refractarius elusor, pœnæ promeritæ nefarius ac contumax refuga; hincque quæcunque contra bannitos sunt excogitatæ atrocitates, in tales quoque congeruntur, ac in ipsa sententia tacitè implicatoque nexu contineri præsumuntur. Et quidem illi, in effigie executionem passi, banniti propriè ac deportati non sunt. Non enim verè pulsi civitate, sed profugi; non ejecti ex territorio jusdicentis, sed eò vocati atque citati sunt. Nec nominatim in executionis actu banni vel deportationis mentio fit, nec quicquam de his pœnis speciatim insertum sententiæ membris, quæ suprà *th.62.* retulimus, apparet; quippe, quâ non bannum aut deportatio, sed mors, ac ultimum supplicium, imponitur. Bannitus verò, aut deportatus nemo est, nisi, cui à judice, cui illa potestas concessa est, per sententiam, publicè latam, banni deportationisve pœna expressè irrogata est. Quin nec potest in sententia deportatio, aut bannum directè contineri: nam si veniret in hoc crimine deportatio & supplicium, imponerentur tanquam diversæ pœnæ principales, cùm criminis hujus pœna vel gladius sit, vel deportatio; adeoque utraque irrogari non posset, sed altera alteram necessariò tolleret. Idque optimè omnium procedit, ubi de executione in effigie revocamus in memoriam, quæ *th.38.* diximus, deportationem sc. in imagine fieri non posse: Quoties E. de executione in effigie in sententia actum est, manifesti argumenti certa conclusio est, ultimum supplicium tantùm, non deportationem, aut simile quid, pro pœna esse. Deportationem enim aliquando ex causa Majestatis irrogatam, constat ex *l. 24. ff. de Pœn.* & Tacit. *lib. 3. Annal. & passim.*

LXIV.

Licèt E. verè expressisque verbis bannum in ea sententia, qua effigies securi subjicitur, non veniat; tacito tamen sensu ac ipso effectu, talis pro bannito reputatur. Etenim cum sententia hæc, ac ejus executio, in effigie exhibita, reo planè vitæ jura adimat, ac quantum in se est, morti destinet; per consequens quoque aqua & igni interdixisse videtur, ut talem, *Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque juvaret,* ut Juvenalis, *in satyr. 3.* loquitur: Utpote, quod ideò fieri solebat, ut disserit Lactant. *in lib.*

in lib. 2. Inst. cap. 10., quia interdicto harum rerum usu, quibus vita constat hominum, perinde habebatur, ac si esset, qui eam sententiam acceperat, morte multatus. Vid. Gail. *lib. 2. Pac. Publ. cap. 1. num. 6. 7.* Cæsar in *Orat. apud Salust. de bell. Catil.* Cicero *in suis pro Aul. Cæcin.: pro domo sua: pro Cornel. Balbo.* Vinn. *ad Inst. §. 2. de cap. minut.* Wiss. *ad l. 97. R. Jur. n. 1.* Atqui hæc aquæ & ignis interdictio species quædam proscriptionis vel banni est, & in proscriptos decerni solebat, teste *eod. Lact.*, Gail. *d. l. cap. 1. ferè per totum.* Cuj. *6. Obs. 39.* Sequitur E. hic banni & proscriptionis effectus executionem quoque in effigie, quâ aqua & ignis, seu vitæ jura ademta sunt. Insuper, cùm ex multarum provinciarum Germaniæ, Italiæque, moribus receptum sit, ut in criminibus citati, venire contumaciter recusantes, in bannum incidant; & quidem partim ex eo, quòd suæ causæ diffidant, qui se sistere non ausint, indeque in ipso crimine versari credantur; partim quòd judicis autoritatem, quæ se impunè lædi non sinit, ludibrio ac contemtui habere censeantur, eamque ob causam illa in eos severè fulminet: (Quibus non obsunt, quæ *thes. 29. & 30.* disputavimus; adductæ enim illic rationes non hoc volunt, quasi contumaces banno ferire non liceat: sed hoc tantùm inferre conantur, quòd criminum illorum atrocissimorum pœna banno non absolvatur, nec tanta facinora nudi banni irrogatione expiari possint; cumque sententia ipsa de crimine ferri non possit in absentes, ob contumaciam ad bannum solùm procedi soleat) hinc quis dubitabit, in hisce sententiis tacitè quoq; bannum non contineri? Cùm eadem hîc contumacia deprehendatur, crimenque manifestum, nec ulla ratio suadeat hoc in loco, illam magis impunitam, ac ab omni animadversione liberam, dimittendam esse, quàm in cæteris; maximè quia quibusvis delictis propriæ pœnæ impositæ, in concursu variorum facinorum, nullatenus se mutuò impediant, sed singulæ quoque locum inveniant. Eo autem posito, quòd executionis in effigie damnatus pro bannito reputetur, ut pro hoste itidem habeatur, necesse est. *Bannitus enim pro diffidato ac hoste est.* ut patet ex *cap. ult. princ. verb. diffidatus nihilominus ac bannitus. x. de pœn.* Gail. *P. P. l. 2. cap. 1. num. 21. 22. 25.* Schwanem. *lib. 3. Obs. 48. num. 1.*

LXV.

Sed hoc, nempe pro hoste haberi eum, qui eo modo damnatus est, longè expeditiùs colligitur, quia ex iis criminibus condemnatio proficiscitur, ut suprà ostensum, ubi ipsa respubl. ac civium securitas in discrimen adducitur: ubi peræquè Divina humanaque Majestas læditur: ubi perduelli conatu ecclesiasticus non minùs, quàm civilis status perturbatur ac divellitur; quales omnes & hostilem animum habere ac inter hostes annumerari, certum est, & patet *ex l. ult. ff. ad l. Jul. Majestat.* Nec enim putandum est, illum solùm hostem esse, qui belli jure talis est, & *cui Populus Roman.* vel alia sui juris respubl. *bellum decrevit, vel qui populo,* ut in causa postliminii respondent Ulpian. *l. 24. ff. de capt. & postlim:* & Julian. *in l. 118. de V. S.*; sed & ille eo nomine venit, qui delictorum atrocium, in remp. commissorum, hostilem animum conatusque arguentium, reus convictusque est: qualis, non secus ac hostis, hostiles machinationes, inimicam manum, perniciosa consilia, ad aras focosque evertendos, admovet. Quod & disertè habetur in *l. 7. ff. de re milit.* Proditores, transfugæ (nam & illi Majestatis rei. *thes. 44.* per *l. 1. §. 1. l. 3. pr. ff. ad. l. Jul. Majestat.*) capite puniuntur, & exautorati torquentur: *nam pro hoste, non pro milite, habentur,* & in *l. 3. §. ult. ff. ad l. C. de sicar.* transfugæ *quasi hostes.* Atque hinc facilè est, sensum mentemque *l. 8. §. 2. ff. de Pœn.* indagare. *Hostes, item transfugæ, ea pœna afficiuntur, ut vivi comburantur.* Quæ lex, quia mirè torsit Cujacium, ipse legem retorsit, vimque sententiæ adhibuit, verbis censorium calamum. *lib. 4. Obs. 9.* legitque: *ad hostes autem transfugæ:* Ridiculum ac absurdum putans, jurique gentium contrarium, ut capti hostes comburantur: cùm potiùs servari debere, rectior ratio suadeat. Sed transmutatio illa nimiùm recedit à recepta omnibus codicibus lectione, & omni autoritate caret; imò necullam ita legendi video necessitatem, saniorq; non mutatæ quàm mutatæ, ac rectior vitiosæ, ut ille putat, quàm correctæ, legis sensus est. Per *hostes* enim ibi intelliguntur non *hostes extranei* ex belli decreto. Nam agitur illic de pœnarum generibus, quæ regulariter in cives ac subditos, non extraneos, constituuntur: & eos dicta lex punit, quos judicio condemnavit. at cessat in hostes judicii processus; ut tota lex civilis sit, & civem suum respiciat. *Hostes* E.

illic

illic sunt *cives perduelles* ac hostiliter animati; *hostes* illic sunt *transfugæ, qui ad hostes à republ. transeunt*, eorúmque conatibus adstipulantur, machinationes sequuntur; quod ex collatione *huius loci*, cum *l. 3. §. ult. ff. ad l. Cor. de sicar. l. 7. ff. de re milit.* præterea patescit. Utque res adhuc evidentior sit, vocem *hostis* ita explicari videmus *in l. 11. §. 3. ff. de his, qui not. infam.* verb. *Hostes vel perduellionis damnati.* Item *l. 234. pr. de V. S. Quos nos hostes vocamus, eos veteres perduelles appellabant, per eam adiectionem significantes, cum quibus bellum esset*; adeò, ut nomine quoque idem sit perduellis & hostis, notetque in specie *hostem perniciosiorem*, ut Festus in *voce, Duellum:* autor est: Et Cicero quoque testis *lib. 1. Off. Equidem illud etiam animadverto, quòd, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante: hostis enim apud maiores nostros dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.* Usque adeò cives, in rempub. crudeliter quid statuentes, perduelles sunt: perduelles autem hostes sunt.

LXVI.

Ex his autem perspicio in effigie punitum duplici respectu pro hoste haberi: tum quia ex tali crimine, jam executioni symbolicè mandato, damnatus est, quod hostem arguit: tum quia in ipsa sententia bannum implicitè continetur, quod itidem pro hoste aliquem habendum esse jubet. Sed diversitatem tamen non levem agnoscendam esse, puto, inter eam hostilitatem, quæ ex banno concluditur, remotiusque è sua scaturigine derivatur: & inter eam, quæ ex ipso malefico, hostilibusque machinationibus intento, animo, tanquam ex suo fonte, oritur. Namque, qui ex banno pro hoste sunt, ferè solùm extra fidem, præsidium, protectionem clientelamque imperii ponuntur, ac judicium illis clausum est, ut omnium injuriis expositi sint, impunéque à quovis offendi possint, nec illi ad exemplum aliorum civium pœnarum sanctionibus adversus obtrectatores suos, percussoresque præmuniantur. Ad eum ferè modum, quo Prætor in alea versatur, & ludum illum novo lusu illudit, furta, direptiones, verbera permittendo. *l. 1. & t. t. ff. & Cod. de aleat.*: non quasi ea approbet, sed non impediat, dum actionem dare noluit: ita & hîc læsionem eorum permittit, nec data actione tales tuetur. Qui verò ex crimine ipso reipubl. hostis est, cùm ille verè hostis sit, ac civium perniti-

em quæsiverit, in eum non saltem talia permittuntur, sed jubentur; & si quis ea, quæ contra hostes publicos aliàs suscipi solent, omittit, boni civis ac patriæ amantis nomen amittit; ac si talem receperit, refugium ei hospitiúmve apud se concesserit, graviùs utique plectitur. Quod monere ideò supervacaneum non erit, ut, si fortè vel in homicidio, vel alio crimine princeps graviùs quid ob exemplum statuat, ac in effigie executionem fieri mandet, *thes. 32.*; vel etiam si consuetudo talem morem in effigie exequendi in aliis quoque capitalibus criminibus, quæ nostris antè enarratis leviora sunt, introduxerit, *th. 31*, non statim pro manifesto hoste simpliciter habendum censeam, sed eo tantùm jure, quo bannitus pro hoste esse consuevit: cùm ipsum crimen hostem eum non faciat.

LXVII.

Ex hisce prioribus effectibus, ut quodammodo jam indigitatum est, sequitur, *quòd eos, qui in effigie executionem passi sunt, ubique persequi, impunè offendere, ac interficere cuivis liceat*, ex eo sc. quòd hostes sint. Quòd ita etiam constitutum *in d. l. 3. § ult.* ibi: *Transfugas licet, ubicunq, inventi fuerint, impunè interficere*; & generaliter de omnibus illis, qui quovis modo ad patriam delendam aliquid moliuntur factionémve ineunt, idem sancitum est in *l. 35. ff. de Relig. & sumt. fun.*: ut non tantùm à facinore immunis sit, sed & præmio honoretur, *eamq, ob causam, si filius patrem, vel pater filium interfecisset, sine scelere eos casos esse constituerint.* Vid. Ulr. Zas. *ad d. l.* quod & *in sententia illa Ulenfeld. & passim* notatum, ubi mercede constitutà ad privatam internecionem, si vivus sisti non possit, invitantur. Quod parricidium in bannitis non admiserunt. *arg. l. 38. §. 9. ff. ad l. Jul. de Adult.*: ubi liberto patronum deprehensum in adulterio uxoris non licet impunè interficere, licèt alios possit: ex ratione, quia, *si eius famæ, multò magis vitæ, parcendum est*; quàm rationem fortiùs in patre militare, ipsa natura docet. Et *arg. Nov. 12. c. 2. licèt legum contemtor sit, pater tamen est.* Legib[9] igitur adhuc pater est, qui deliquit. *dd. ll.*, qui autem patriam suam oppugnat, etiam filii sui pater esse desinit. Nam castrorum pro patria defendenda cura antiquior fuit, quàm charitas liberorum. *l. 19. §. 7. de capt. & post.* patriæque magis, quàm parentibus, nati sumus. *l. 1. §. 15. ff. de vent. in poss. mitt.* Vid. Cla-

l. 5.

l. 5. §. homicidium. num. 59. Gilhausf. *arb. crim. p. 2. cap. 12. tit. homicidium. num. 43.* Menoch. *arbit. iud. quæst. q. 90. num. 43.* Brunnem. *ad d. l. 35 ff. de releg.* Ipsaque Ordinatio Camer. expressè idem sanxit, & bona pariter & corpus liberæ offensioni exposuit *p. 2. tit. 9.* verb. **Soll deß/oder derer/Leib und Gut allermänniglich erlaubet seyn/ und Niemand daran freveslen / oder verhandelen können oder mögen.** Nihil autem interest, privatóne quis, an ex odio publico, tales persequatur? indistinctè enim omnes, qui eos damnis afficiunt, impunitate gaudere, statutum est: nec minùs illi, quàm hi, justitiæ ac patriæ causam tuentur, ac asserunt. Imò si ab inimicorum ac malevolorum injuriis defenderentur, amicis spontè cessantibus ab injuriis, nullam omninò illi persecutionem essent habituri, constitutioque vi ipsa eluderetur. Et cur bono civi fraudi sit, in occidendis patriæ hostibus, privatum quoque odium, iramque, accessisse? Ut contra Marsf. *in cons. 10.* & Arnon. *cons. 40.* disputat Carav. *in pragm. prim. de exulib. num. 134.* quem refert Bajard. *ad Clar. §. homicidium. n. 210.* Nec referre volunt, an pacta de non offendendo intervenerint, an verò non? Nam etsi & hosti ea servanda esse non negemus, potestate tamen contrahendi cum hoste privati non gaudent, & civium pacta à summa potestate ita reguntur, ut illæ conventiones, quæ ab ea reprobatæ sunt, nullatenus obligent. *l. 7. §. 16. ff. de pact. l. 27. §. 4. eod.*; tum etiam publicæ injuriæ vindicandæ, ne quidem privatus, quantum ad se, renunciare potest: maximè cùm paciscentes illi cum hostibus conspirasse videantur: indeque constitutum *c. ult. x. de pœn.* & Ord. Cam. *p. 2. t. 9. §. 2.* verb. **Darzu/rc.** ut pacta cum iis inita non valeant. De qua impunitate, in tales commissæ, injuriæ, multorum locorum consuetudinibꝰ recepta, variè Dd. quærunt & consulunt. Et vult Baldus *in l. 18. imperator. l. 2. in 3. repet. ff. de stat. hom.* in prægnante quoque illam offensionem licere. Quod Nell. de S. Geminiano *in tract. de bannit. in 2. part. 2. tempor. num 39. & 40.* sub distinctione concedit; ac planè rejicit, & quidem rectiùs, Viv. in *comm. opin. 770. num. 19.* Hinc etiam quærunt: *An licitè adulterium cum bannita committi possit?* Neg. adulterium enim pœna non est, quemadmodum occisio: quamvis in Sejani filia stuprum pœna fuit, quæ vitiata

primùm à carnifice, pòst occisa est, Sueton. *in Tib. cap. 61.* Tacit. *5. an.* Adde Cluv. *in Tiber.*; nec hoc in hoste unquam à sanioribus concessum, aut approbatum. Grot. *de I. B. & P. l. 3. c. 4. num. 19.*; & ordinaria adulterorum pœna, si quis bannitam compressit, nihilominùs obtinet. Berlich. *pract. concl. p. 4. cap. 27. num. 55.* Unde nec bannitam vi *stuprare* permissum est. Cùm nec stupra tanquam pœnæ irrogari consueverint. Berlich. autem *pract. concl. p. 4. concl. 41. num. 49.* putat violentum illum stupratorem pœna stupri violenti non teneri: forsan ideò; quia vis licitè inferri potest bannitis, stupri autem non potest: detractâ E. vi, simplex stuprum manere. Sed id ex ista ratione non concesserim: nam 1. vis in stupro violento non separata est à stupro, sed ipsam stupri violenti essentiam constituit; nec 2. omnis violentia in tales licita est, sed ea tantùm, quæ corpori infertur, id percutiendo, occidendo: vel bonis, ea adimendo, non verò, si animæ periculum conjunctum, ad nova crimina eam, seu persuasionibus ac blanditiis, seu vi minisque, sollicitando. Itaque in malam rem abeat Michaëlis Ephesii error, qui ad quintum Nicomachiorum dicere ausus est, *in tyranni uxorem adulterium committi non posse.* Grot. *de J. B. & Pac. lib. 3. cap. 19. num. 2.* Quam quoque opinionem ex aliis præposterè hausisse oris tam verecundi Senecam in Excerptis IV. 7., video: *Qui non putat, adulterium, uxorem tyranni polluere: sicut nec homicidium, tyrannum occidere.* Si verò cadavera eorum spolientur, ac injuriosè tractentur, de sepulchro violato actio non competit. Berlich. *p. 5. concl. 47. num. 32.*; ex hoc forsan, quòd pœna, quæ vivo infligitur (v. gr. illa permissa offensio) post mortem continuari videatur: quia banni sententia, quæ vivo illata, post mortem durat. Conf. *thes. 27.*

LXVIII.

An autem ejusmodi occisor illius, qui executionem in effigie sustinuit, in foro conscientiæ tutus sit, quæstio non levis momenti est, nec levi contentione inter JCtos pariter ac Theologos disceptata: non quidem, quod memini, in hac executionis in effigie specie, sed in re simillima. Et tutum ferè eum pronunciant. Nam non minùs juris Civilis, quàm naturæ, imò & divini juris regula est, quòd quis prætore aut magistratu autore facit, id justè factum videri. *l. 167. l. 137. de R. I. c. 4. de reg. iur. in 6.*

in 6. Rom. 13. vers. 1. & seq. 1. Petr. 2. vers. 13. & pass. Quod magistratus præceptum hanc limitationem solam recipit, nisi juri naturæ divinoque contrarietur: Improbos autem ac divinæ humanæque, divinitùs constitutæ, Majestatis temeratores è medio tolli, utroque jure stabilitur potiùs, quàm ut repugnet. Non verò dubitandum est, magistratum expressè jussisse, qui & præmiis ad id sollicitat: imò justitiæ publicæ executores (quales & illi sunt) quin suo munere fungi, sine conscientiæ morsu possint, quis neget? Sanè absurdum esset, vel militem in conscientiæ foro teneri, qui sententiâ damnatum sclopeto confodere jussus est, vulgò, der commendiret/ einen zu arquebusiren/ vel ipsum carnificem; sive benè sive malè in causa judicatum esset. Quo sensu verum illud, quod statuit Hobbes. *de civ. c. 6. num. 2.*, quandoque peccatum alienum posse me sine meo peccato facere, si mandanti, cui mihi parendum est, obsequar. Add. *l. 169. Reg. Jur. l. 157. l. 137. eod.* Sed cum Autore illo non ita latè hoc extendendum est: cùm aliàs, ne subditus quidem, minister nequitiæ sciens esse debeat: nec ipse Deus usquequaq; tam brutam obedientiam ab homine, quem ratione instruxit, efflagitet. Denique, si hoc facto in conscientia labes contraheretur, ipse magistratus jubens, causa utique impulsiva esset ad peccandum, concitaretque ac stimularet subditos suos ad animæ pernitiem, dumque suam pariter ac Dei causam asserere conaretur, destrueret. Quod de Christianis beneque institutis magistratibus, ac optimè fundatarum rerumpub. directoribus, temerè ac impiè, judice Claro, asseritur §. *homicidium. num. 54.*, quam rationem vel solam sufficientem in hac causa putat & adducit. Adi Afflict. *in constit. de for. bann. n. 30.* se D. Thomæ Aquinatis autoritate sustinentem atque jactantem. Boss. *in tit. Bann. quid amit.* Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 20. n. 17. in fin.* Nec talis pro homicida usquam in alienis judiciis haberi potest. *Et in bonis offendi*, supr. verbis Ord. Camer. dictum est. Ergò, si furto ipsi invito res auferantur, aut quocunque modo intervertantur, furti nulla actio est; si damnum injuriâ patiatur, quiescit Aquilia; non de spolio, nec de vi conqueri potest; sed bonis omnibus tutò privatur. Quod tamen de illis bonis intelligendum esse, puto, quæ ipse secum asportavit: relicta enim in

nim in dicto crimine fiscus occupat, nec hæc privatorum direptioni exposita sunt.

LXIX.

3. Is, cujus imagini, in ipsius rei vicem, ultimum supplicium illatum est, *capitis diminutionem* eo ipso patitur, sed saltem *mediam* & *civitatem amittit:* Unde tales ad mentem, *l. 1. §. 2. de leg. 3.* & *l. 17. §. 1. ff. de pœn.*, ἀπόλιδες & extorres dici possunt: quia respectu illius civitatis, & ut, nondum ab aliis recepti, considerantur. Resq; certa est vel ideò, quia pro hoste is habetur, adeoque civem eum esse, ac retinere civium jura, repugnat, eoque modo hostem Cicero in *all. loc. 1. Off.* peregrinum dicit. *& l. 7. ff. de re mil.* eum civi ac militi opponit, *pro hoste, non pro milite habetur*: peregrinus enim miles esse non poterat *l. 6. C. qui milit. poss.*, eratque pœnæ species in peregrinitatem reduci. Sic Claudius Græciæ quendam principem in peregrinitatem redigisse legitur apud Suet. *in Claud. c. 16. & c. 25. & pass.* De quorum jure prolixiùs vid. Gotofr. *ad. l. 1. C. de hered. instit.* Deinde probat hoc *l. 5. §. 1. ff. de cap. minut.* ubi omnes, qui in hostium numero sunt, aut quovis modo deficiunt à republ. (quales & illi, de quibus sermo est) dicuntur capite minui: saltem ita, ut civitatem solùm amittant. Et denique *l. 15 ff. de Tutel.* negat transfugam maximam capitis diminutionem pati, nec servum hostium fieri. Media E. est capitis diminutio, quam sustinet. Cui non obstat Gail.: qui in banno suppositos maximam capitis diminutionem statuit. Videtur enim medium saltem intelligere: nec n. puto velle eum, ut servi fiant. *de P. P. l. 2. c. 1. n. 24. & 25.* Ergò Melioris conditionis transfuga erit, qui ab hostibus belli jure recipitur. *l. 52. pr. ff. de Acq rer. dom*, ac pro servo in ea, ex qua fugit, civitate non habetur, quàm civis, qui sanguinem pro patria profundendo capt⁹ est. *§. 5. I. quib. m. ius pat. pot. soll.* & pro servo quoq; in patria habetur, nec quicquam retinuisse videtur, nisi quòd vel reverso postliminium res suas restituat, vel morientibus fictio legis Corneliæ assistat. Sed nostræ sententiæ se opponit *l. 29. ff. de Pœn.*, quæ ultimo supplicio damnatos maximam capitis diminutionem pati, & statim ante mortem quoque libertatem perdere, asserit. Et sanè cùm per sententiam jus quoque vivendi ablatum sit, non possunt ulla ei

amplius

ampliùs jura competere, utpote, quæ tantùm viventium sunt; capitis autem damnatus viventium jure per sententiam quasi exuitur. Sed Ry. id solùm verum esse de capite damnatis, qui carcere coercentur, vel aliàs in potestate judicantium sunt; illis enim sententia, quæ mortis eos condemnavit, jus facit, & quod fecit, executio statim in effectum deducit, atque adeò videtur cum vita jura quoque vitæ iis ademta esse. Diversum autem in iis, in quorum saltem effigie sententia capitalis executioni mandata est: quia illi post executionem adhuc supersunt, ac liberè viventium juribus fruuntur inter cæteros, quos judicium illud non astringit. Sed & *dict. l. 29. ff. de pœn.* & *l. 12 l. 17. eod.* omnisque servitus pœnæ jam dudum per *Novell. 22. c 8. & auth. sed hodie C de donat. int. vir.* exspiravit; adeoque nos ampliùs illæ leges non morantur, nec quorum bona fisco acquiruntur, id eo jure adhuc fieri credendum est, quasi pœnæ servorum, ut, quemadmodum servi jura omnia, non nisi in Dominum, transeunt, ita hîc in fiscum.

LXX.

Civitatem itaque amittit per effigiem ad supplicium raptus, retentâ libertate, exemplo ferè deportati. Ergóne *omnia ea, quæ iuris gentium sunt, quemadmodum deportati etiam retinet*, cùm illa ex jure civitatis non dependeant? Et videbatur hoc dicendum esse. 1. Ex identitate rationis, *l. 15. ff. de interd. & releg.*, in qua ideò deportatis jura gentium relinquuntur, quia civitatis solùm jura perdunt, adeoque vendere, locare, permutare &c. possunt; & licèt quoad mandatum, quod itidem juris gentium est. *l. 5. pr. ff. de Iust & Iur.*, scrupulum moveat *l. 22. §. 5. ff. mandat.* ubi utilis tantùm actio conceditur: facilè tamen ille excutitur. Nam, etsi jura gentium retineant deportati, indeque iis modis acquirere possint, cùm tamen actio omnis directa, ex quocunque demum contractu juris gentium aut civilis nata, ex concepta formula juris civilis dabatur, quæ ad solos cives se dirigebat, non potuit directa dari, sed utilis tantùm deportatis competere cœpit, quemadmodum etiam utili tantùm actione conveniebantur. *l 14. § fin. ff. de interd. & releg.* 2. Non videtur jus Civile hisce in effigie executionem passis, & jam in peregrinitatem redactis, plus auferre potuisse, quàm civi quondam dedit. Sed Ry. amborum di-

versissima est conditio. Etsi enim illi, qui his pœnis multantur, hisce executionibus mactantur, libertatem retinent, civitatemque solùm amittunt, jure tamen gentium respectu illius civitatis, quemadmodum quidem deportati, non fruuntur. Id autem nec novum, nec juri dissentaneum, posse rempubl. civem suum ob pœnam eorum commercio, quæ aliàs ex jure gentium ipsi competerent, excludere, cùm & libertatem adimere, & ad servorum conditionem redigere potuisse appareat. Unde tales nec possidere quid, nec vendere possunt. Imò omnes conventiones, juramenta, pacta, promissa, manumissiones, stipulationes, actionesque omnes cassantur ac annullantur, nec ex illis ullum jus agendi ipsis competit. *cap. ult.* verb. *nullus ei debita reddere, nullus respondere in iudicio teneatur. de pœn. in 6.* Quæ quia in specie quoque in bannitos per Ord. Camer. constituta sunt, puto etiam locum habere in illis, qui jussu principis aut ex consuetudine, non ex hisce præcisè enarratis criminibus, sed aliis executionem in effigie sustinuére; quoniam tales pro bannitis propter hanc executionem reipsa habentur. Ord. Camer. *part. 2. tit. 9. §. 2.* verb. **darzu alle Verschreibung/ Pflicht und Bündnuß ihm zustehend/ und darauff sie Forderung und Zuspruch haben möchten / gegen den Jenigen/ die ihnen verhafft wären/ ab und öd seyn ꝛc.** Itaque nec agere illi, imò, nec cœptam actionem persequi possunt: cùm omnis effectus agendi ex jure civili sit. *l. 2 §. 6. ff. de Orig. iur l. 17. §. 3. vers. ideò Commod.* Dd. *in l. 6. pr. ff. de Just & Jur.* Gail. *P. P. lib. 2. c. 12. n. 1. & seqq.* Mynf. *cent. 3. obs. 30.* Schwan. *lib. 3. obs. 46. n. 2.* Oppon. *l. 5. §. ult. ff. de publ. iud.* in qua permittitur judicium criminale continuare ei, qui etiam libertatem amisit. Resp. Aliud in delatione & accusatione criminis, quam cœptam deserere non licet, propter Sct. Turpill. *l. 1. §. 7. ad Sct. Turpill.*; adeoque multò minùs per delictum se ei eximere; aliud in actore & civilibus actionibus. Sanè, si alteri debet, potest, si bona retinuit, tanquam reus per procuratorem respondere. Gail. *d. c. n. 15. & seqq.* Schwan. *d. obs. 46. num. 3.* Defensiones enim juris naturalis sunt, neminique denegandæ. Quod tamen de necessaria defensione Rei, quâ talis, accipiendum est; secus in defensione voluntaria, quam parat ut actor,

quia

quia omne jus agendi ex jure civili est, & proinde his, qui executionem sustinuére, ademtum, uti ex causa reconventionis, ex l. diffamari. *&c.* Cail. *d. l. n. 24. & seqq.* Sed adhuc deportatis (quod scil. civitate amissâ libertatem non retineant, sed ad servorum conditionem deducantur, præter *l. 5. §. ult. de extraord. cognit.*, ad quam tamen responsum est à Dd. & communiter scribentibus *ad §. 2. Inst. de cap. min.* vid. Vinn. *ibid.*) gravissimam controversiam movet *l. 17. §. 6. ad SCt. Trebell.* verb. *liber factus.* Ad quam, quia extra oleas est, in ipso actu disputandi, si opus est, respondebimus.

LXXI.

Hinc nec *Tutelas retinent*, quæ omnes media capitis diminutione tolluntur. §. *4. l. quib. mod. tut. fin.* Sed difficultatem hîc habet transfugæ exemplum, quem civitatem amittere certum est. *l. 5. pr §. 1. ff. de cap. minut. §. 1. Inst. eod l. 19. § 4. ff. de capt. & postl.*, nec tamen is ideo tutelā perdit, ut dicitur *l. 15 ff de Tut.* Cuj. *lib. 4. obs 9.* putat *d §. 4. l quib. mod tut.* non per omne verū esse, quin ex *l. 10. ff. de tut.* concludere allaborat: si etiam non civem tutorem dare liceat, E. nec civitate amissa tutelam amitti: quasi quod antè tutelis impedimento non fuit, quò minùs incipiant, id nec pòst justā causam esse, ut semel constitutæ desinant. Hinc eos solùm tutelas amittere statuit, qui civitatem amittunt, nec ad novam iterum secedunt, quales deportati & similes, qui ἄπολιδες vocantur, & nullius civitatis cives sunt. Secus esse, ait, si tutor transfugerit, aut hosti deditus, ac ab iis receptus, civitateque donatus fuerit. Illum E. si impræsentiarum consuleremus, sine dubio assereret quoque, quibus in effigie executio civitatem ademit, eos adhuc tutores permanere, si modò ab alia civitate actutum recepti essent: Quæ si vera, magnam partem caderent ea, quæ antè posuimus, atque additis rationibus firmavimus. Sed omninò infirmè concludit ex *d l. 10. ff. de Tut.* verb. *non municeps tutor dari potest, si modò municipi detur.* Nam talis *non municeps*, alius tamen civitatis provincialis, aut saltem ditionis imperio Romano subjectæ, civis est, qui sanè communione juris civilis fruitur, ac munerum civilium capax est. *l. 1. §. 1 ff. ad munic. l. 17 ff. de stat homin*, quæ in transfugam non cadunt. *dd ll.* Dicendum E. fortè, differentiam esse inter eos, qui per sententiam & ejus publicatam executionem

nè, civitate ac juribus civilibus, sive tacitè sive expressè, exclusi sunt: ac inter eos, qui ultrò ex civitate exierunt, ac ad hostes transeundo, se civitate exuerunt. Illi penitùs per sententiam civitatis jura amittunt; hi in totum civilibus sanctionibus non liberantur. Etsi enim transfugæ, aliique, qui civitati se eximunt, juribus civilibus in sui præjudicium priventur, non suo tamen facto se immunes reddere ab oneribus civium publicisve muneribus, qualis est tutela: nec obligatione se liberare, pupillumque suo jure privare ac defraudare possunt. Add, Bicc. *rer. quot. sect. 1. th. 29.* ubi eleganter dicit: *talem magìs pœna, quàm gratia, causâ tutorem manere.* Hinc est, quòd fugitivus censeatur esse in loco, unde fugit. *l. 84. §. 10. ff. de leg. 1.*; quòd servus fugitivus dominum ne quidem possessione privare possit. *l. 13. pr. l. 15. ff. de acq. poss.*; & servis legatis, qui in fundo tempore mortis erunt, etiam fugitivi ibi esse censeantur. *d. l. 84. §. 10. l. 68. §. fin. l. 82. de leg. 3.* Cœterùm variè se in omnes partes vertunt JCti in explicatione *d. l. 15. de Tutel.* Accursius, quem sequitur Gothofred. *ad d. l.* & Harpprecht. *ad §. 4. Instit. quib. mod. tut. fin.* de eo intelligit *d. l.*, qui bono animo explorandi causâ transfugit. Sed hoc & à mente JCti, & à proprietate verbi alienum est. Nam transfuga exploratori opponitur: sic Senec. *in epist. 2. Soleo in aliena castra transire non tanquam transfuga, sed tanquam explorator.* Donell. *lib. 3. comm. c. 14.* pro *aut transfugerit*, legit: *haut transfugerit*: eâdem scil. dexteritate, quâ in *l. 1. ff. de solution.* pro: *aut in illud:* legit: *haut in illud.* Anton. Faber. *in Jurispr. Papin. 12. pr. illat. 21.* de tutore, cuidam provinciali dato, *dict. l. 15.* accipit, quem civem esse non oportuerit: quia in definitione dicitur potestas *in capite libero*, non in *capite civis*: sed verba illa *iure civili data* eum refellunt. Hillig. ad Donell. *lib. 3. cap. 14. lit. F.* & maximè omnium aberrat à janua Loriot. *de tut. ax. 3.* qui transfugam ac receptum, non nisi minimam capitis diminutionem pati asserit. Cùm verò hic tutor transfuga nunquam habeat in urbe regressum, quia pro hoste habetur, & gravi pœna, si recipiatur, plectendus sit. *l. 38. §. 1. de pœn.*, impedimentum hoc omninò perpetuum est, adeoque alius tutor ipsi, non curator, substituitur. arg. *§. 5. Instit. de Curat.*

LXXII.

LXXII.

E. nec jura successionum, nec testamenti factionem, *d. cap. ult. de pœn. in 6.*, nec patriam potestatem, indeque longo agmine manantes effect⁹, retinet executionem hanc passus: imò quicquid jurium civilium civibus suis resp. communicat, ea omnia perdit; ea quoque, quæ deportatis adhuc relinquuntur, ut eligendi jus in fidei commissis. *l. 77. §. 4. de leg. 2. l. 17. §. 6. ad SC. Trebell.* alimentorum legatum. *l. 16. ff. de interd. & releg.* & si quæ alia sunt.

LXXIII.

Sed nec *dominium directum*, nec *Feuda*, aut *beneficia*, ei relinquuntur. Et quidem, si dominium directum habeat, secuta condemnatione vasallus ejus liberatur à jurej. fidelitatis, teneturq; feudum suum à Fisco, ad quem dominium illud devolvitur, agnoscere. Gail. *P.P. l. 2. cap. 15.* Si autem Vasallus sit, Feuda, sive nova, sive antiqua, eum amittere indubii juris est, tum per *d. c. ult. de pœn. in 6.* ibi: *Si qua verò feuda, locationes, officium, vel beneficium spirituale, vel temporale ab aliquibus ecclesiis obtinet, sit iis ipso iure privatus:* tum per Ord. Camer. *p. 2. tit. 9. §. 2.* Auch die Lehen rc. verfallen seyn. Dn. Struv. *Synt Jur. feud. cap. 15. thes. 10. num. 4.* Adde *l. 1. C. de bon. libert.*: Sed ad quem feuda ista perveniant, quæstionis est. Et quia huic in effigie executioni conjuncta ferè est bonorum confiscatio, annon etiam illa feuda in publicationem, atq; ad Fiscum perveniant, quæritur? Negant hoc, & rectè quidem, Curt. jun. *tr. feud. part. 5. n. 15.* Gail. *lib. 2. P.P. c. 14.*, adductæ tamen illic rationes illud præcisè non inferunt. Nam nec domino directo nocet, si fiscus jus feudale saltem acquirat, quod domini directi non est. Nec fiscus hoc casu loco heredis est, tum quia nulla hereditas viventis. *l. 1. ff de Hered. vend. l. [illegible] ff. pro hered.*, tum quia hereditatis vicem obtinere nequit, quod in pœnam accipitur. *arg. l. 48. §. ult. ff. de iure Fisc.* Hæc E. ratio ita constituti juris videtur. Nempe fiscus hoc casu esset loco Vasalli; non potest autem plus ad eum transire, quàm fuit Vasalli delinquentis, ad quem pertinuit tantùm jus feudale, id est dominium utile cum lege fidelitatis. Quid enim ipsi juris esset cum jure Dominii directi, cùm dominus non deliquerit, nec ejus bona publicata sint? certumque sit ad fiscum bona cum omni suo onere transi-

 re, per

re, per ea, quæ luculenter tradit Ægyd. Thomat. *de collect. §. nobilitas. num.16.* & Gail. *P. P. l. 2. cap. 16. num. 5.* adeoque etiam cum lege fidelitatis. Atqui Fiscus bona, quæ publicata sunt, jure territorii ac imperii tenet. Struv. *ad tit. de jure fisci.* Gotm. *2 conf. 55. num. 32.* Repugnat autem quid tenere jure imperii, & jure vasalli, id est, servitii vel servitutis nomine. Quæcunque verò demùm ratio fuerit, ad fiscum feuda non pertinere, sat constanter id textibus feudalibus asseritur. *2. Feud. c. 24. §. ult.*, *2 Feud. c. 26. §. si vasallus culpam*, *2. Feud. cap. 31.*, & *2 Feud. cap. 37. pr* & expressum Capitul. Ferdin. III. *art. 28.* Struv. *dict. cap. 15. thes. 10 num. 4.* ac planè omnem etiam dubitandi ansam præripit constitutio *sub tit.* Erklärung deß Land-Friedens/ de Anno 1522. *tit. 22.* Den Lehenherren/ etc. Fisco itaque hac ratione excluso, *redeatne ad dominum feudum, an ad agnatos?* superest, ut disquiramus. Quàm varia autem cùm ambiguitate, tum obscuritate, hoc tractatum à Dd., ostendunt Curt. Jun. *de feud. p. 5. per tot.* Carpz. *p. 3. constit. 27. def. 1. 3. & 6. 8. 16. & passim* Hartm. Pistor. *lib. 2. quæst. 15. & 16. per tot.* Berlich. *p. 1. concl. 37. & 38.* Jacob de S. Georg. *de feud. §. dictique Vasalli n. 58.* Gail. *P. P. l. 2 c. 13. per tot.* Struv. *Synt. Jur. Feud. c. 15. th. 14. 15.* Nos, ut breviter id decidatur, hoc notamus, non quasi hoc ignotum cuiquam putemus, sed quia notum, indeque faciliùs ex eo innotescat id, quod quærimus. Feudum, quod pacto constituitur, non jure hereditario, sed vi hujus pacti ad omnes agnatos defertur, qui proinde illud non suscipiunt pro munere prædecessoris morientis, sed nanciscuntur beneficio primi paciscentis ac acquirentis, & huic, non illi, succedere videntur; cùm ex pacto jus suum habeant, non ex successione demum derivent: Quanquam hæc tacita conditio semper insit, si non à propiore excludantur gradu, sed eos agnationis ordo tetigerit. Hinc, si feudum novum sit, & crimine Vasalli amissum, redit id ad dominum, quia omnes agnati per primum paciscentem acquirunt, cui proinde, si ablatum sit feudum, ad ulteriores transmittere non potest, quod ipse ampliùs non habet. *l. 20. ff. de acquir. rer. dom.* per text. *2. F. c. 24. §. ult. vers. si tamen beneficium. 2. F. c. 37. verb. si paternum fuerit.* Sed etsi antiquum fuerit feudum, itidem adhuc ad dominum spectare dicimus, utpote, ad quem, ceu dominum

dire-

directum, resoluto jure Vasalli revertitur, sive in dominum felonia commissa sit, sive in alium; nec habent hîc, quod querantur agnati, quibus hâc ratione non præjudicatur, cùm superstite isto Vasallo nondum jus aliquod habeant, quia etiamnum à proximiore exclusi sunt. *de quo pòst.* Hæc autem regula traditur *1. F. c. 5. pr. vers. his omnibus*, ubi dicitur, omnibus illis casibus feudum ad dominum reverti; inter eos autem referuntur non tantùm, qui in dominum, sed & qui in alios commiserunt, scil. qui proprium fratrem vel nepotem occiderunt. Idem habetur in constitutionibus pacis publicæ Maximiliani & Caroli V. Impp. *Ord. pac publ. anno 1494.* zu Wormß/ *& anno 1548.* zu Augspurg. *tit.* von Pön der Friedbrecher. *3.* Daß die Lehen/ so viel der überfahrer gebraucht/ dem Lehenherrn verfallen seyn. & totidem verbis in Ord. Camer. *part. 2. tit. 9. §. 2. vers.* darzu alle. *verb.* auch die Lehen/ rc. Sed, mortuo Vasallo, incipit jus proximi agnati, quod proinde ipsi interverti nequit per culpam antecessoris, sed ex tempore mortis ad eum devolvitur. Et hæc explicatio expressè adjicitur. *2. F. c. 78.* ibi: *hoc autem intelligitur, si vivo eo &c. 2. F. c. 40. §. ult.* d. constit. de anno 1548. *tit. 3.* & d. Ord. Cam. *p. 2. tit. 9. §. 2. verb.* so lang der Friedbrecher lebet. ex quibus text. itaque limitandi ac intelligendi sunt. *dd. text. in 2. F. c. 24. §. ult. vers. si verò. 2. F. c. 26. §. si vasallus culpa. 2. F. c. 31. & 37.* Hoc autem exceptionem patitur, 1. si injuria in dominum ipsum commissa est, tunc enim dominus perpetuo jure id retinet in vindictam injuriæ suæ. *2. F. c. 24. §. ult. in princ. 2. F. c. 27. princ.* 2. Non procedit in filiis & descendentibus Vasalli. Hi enim non ex pacto immediatè acquirunt, sed per eum, à quo descendunt. hujus n. contemplatione præferuntur reliquis omnibus agnatis. *1. F. c. 8. pr.* & hæc sententia probatur *d. 2. F. c. 26. §. si vasallus culpam,* & *2. F. c. 31.*: nisi tamen illi æquè principaliter pacto comprehendantur: ut hoc sublimitat Hartm. Pistor. *lib. 2. q. 16. n. 27.*

LXXIV.

Nondum claudere Janum licet, velut parta stabili pace, supersunt, quæ satis ambiguæ quæstionis ac litis circa *iura dotium ac confirmationes donationum inter coniuges celebratarum.* Sanè jura dotis amittere his in casibus maritum, ex dictis

omninò

omninò consequens est: quia, civilia jura omnia perdit. Quod stabiliunt ll. quoque & statim dotem à muliere vindicari posse, concedunt *l. 9. C. de bon. proscr. Auth. bona damnatorum. C. eod. l. 24. C. de donat. int. vir & ux.* Verùm constante matrimonio dotem repeti non posse, notissimum est. *l. 29. l. 30. C. iur. dot. l. 7. §. 4. C. de Praescr. 30. ann l. un. C si dos. const. matr. solv. l. 2. ff solut. matr. Perez. C. eod tit.* Quid autem hoc est, quòd matrimonium nec deportatione, nec banno, nec quoque hac executione, sive experduellionis, sive alio capite, quæ in absentem in effigie peragitur, solvatur? per text expr. *in l. 1. C. de repud. l. 24. C. de donat. int conju. l. 5. ult. ff. de bon. damnat. l. 13. §. 1. ff. de donat. int. conju. Auth sed hodie. C. eod.*; scil. quia libertas manet. Quam rationem reddunt tum Impp. tum Icti *in d. l. 24. d. l. 5. d. Auth. sed hodie.* Nov. 22. c. 8. *in fin. & c. 13.* cui totam decisionem superstruunt. Ubique hìc sat scrupulorum ad manus, sed ingeniosioris alicujus calculo fortè feliciùs excutiendorum. Qui enim nuptiæ consistere possunt cum non cive, qualis est & bannitus, & executionem in effigie passus, & deportatus? Ut enim nuptiæ subsistant, requiritur primariò, ut sint cives. *pr. Inst. de Nupt.* verb. *justas nuptias inter se tantùm cives Romani contrahunt. l. 3. C. de incest. nupt.* Add. Ulp. *in frag. tit. 5.* Cicer. *in topic.* Apparet E. faciliùs retineri nuptias potuisse, quàm contrahi. Cives enim demum contrahere possunt, sed contractæ, à civibus, etiam à non cive, retineri possunt, si scil. uterque, aut saltem pars innocens, maritali affectione perduret. *d. l. 1. C. repud. d. l 5. §. ult.*, ne jus semel quæsitum innocenti invito auferatur. Sed adhuc *Obst l 56. ff. solut. matr.* Ubi mulier deportata matrimonium amittere dicitur: nec fortè respondendum, id ideò, quia defecit utrinque affectio maritalis: tum quia tunc non solveretur illud ex deportatione, ut tamen expressè dicitur *in d. l. 56. sol. matr.*, sed ex illo consensu. qui modus frequens olim erat, & ex bona gratia fieri dicebatur, & à cæteris matrimonii finiendi modis distinctus erat, tum quia quoad dotem non se haberent omnia, quasi mortua fuisset, sed quasi divortium fecisset: quia ejus culpa utiq; hæc deportationis pœna irrogata est, ut adeò ipsa divortii causam dederit. Cujus responsionem ipsi disputationis actui reservamus. Nec improbitatis notam subit mulier, si virum recipiat, retineatque

matri-

matrimonium, nec pœnam, quam talium receptatoribus ll. minitatæ sunt, incurrit text. *in l. 22. §. 7. verſ. an autem. ſol. matr.* ubi ita Ulp. *Quid enim tam humanum eſt, quàm ut fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem eſſe. & ſeq. verſ. ſin autem.* imò & laudi eſt. Vid. Val. Max. *lib. 4. c. 6.* Add. Gail. *P. P. lib. 2. c. 10. n. 16. & ſeq.* & *lib. 2. c. 16. n. 21.* & de viro, mulierem retinente, text. *in l. 39. §. 4. ff. ad leg. Jul. de adult. An autem adhuc mulier forum mariti ſequi debeat?* Vid. Bald. *ad d. l. 22. §. ſi maritus. n. 1.* Eo poſito, quomodo conſtante matrimonio dos repeti poteſt? Putat Gail. *d tract. l. 2. cap. 16.* inde hoc fieri, quia maritus, cōfiſcatis bonis, ad inopiam vergit, quo caſu repetitio dotis conceſſa eſt. per *d. l. 29. C. de iure dot. l. 24. ff. ſol. matrimon.* Novell. *97. cap. 6.* Nec hoc aut ſine ratione, aut ſine jure. Nihilominùs tn. *in d. l. 1. C. de repud.* ita hæc actio conceditur, ut non ipſo jure competat, ſed ſola humanitatis ratione, propter propoſiti honeſtatem, detur. Cùm enim ipſa poſſet, ſi velit, ſolvere matrimonium, & ſic dotem petere *d. l. 1.*; itaque, ſi potiùs fidem conjugalem ſervare velit, ex eo non debet actione fraudari. Sed fortè per verba: *ipſo iure non competere:* ad jus vetus reſpexit Imp. Alexander, ubi ſtrictè, non ſoluto matrimonio, dos non repetebatur: quod arguunt verba ſequentia, dum *exempla*, ſcil. hodierna, *id non permittant*, ut dos hoc caſu non repetatur. Et verò ubi in dote privilegium aliquod concedunt Imperatores, etſi vel juris ipſa ratio hoc ſæpè ſuadeat, ſemper ferè jactant, Humanitatis cauſa hoc inductum eſſe. ut in *l 30. verb. noſtra lege humanitatis intuitu. C. de iure dot. & paſſim.* Idem in confirmatione donationum. Non enim illæ confirmantur per hanc executionem quaſi per mortem, ſed interim in ſuſpenſo ſunt, ut conjux quidem revocare poſſit, quia nondum valent, ſed ſi id non fiat, morte poſtea confirmantur. *l. 13. §. 1. ff. & l. 24. C. don. inter coni.* Quàm revocationem etiam parti nocenti permiſſam fuiſſe, eſt quod miremur. *d. l. 24. ibi: ſi deportatus maritus eas non revocavit.* Quod de repetitione dotis in eum, quem diximus, caſum, receptum eſt, id quoque obtinet in donatione propter nuptias, paraphernalibus, nec non reliquis bonis mulieris: item ſi vel pactis conventis, vel conſuetudine locorum, obtentum ac introductum, ut mulier ſemiſſem eorum, quæ conſtante matrimonio

quæsita sunt, vulgo Die Errungenschafft/ consequatur, ut memini in Palatinatu, aliisque vicinis locis obtinere. Gail. *d. cap. 16. num. 12. & seq.* Cæterùm, uxore ex capite perduellionis damnata, dos quoque publicatur, quod huic crimini & quatuor aliis peculiare est. *l. 3. ff. de bon. damnat.*, ita tamen, ut omnes omninò actiones marito in fiscum salvæ sint. *l. 4. eod.*

LXXV.

Hoc ita tum quoad jura gentium, seu generalia, tum civilia, seu specialia, ut dicuntur in *l. 15. ff. de interd. & releg. §. 1. Inst. de iur. nat. gen. & civ.*, respectu ejusdem civitatis, in qua quis damnatus & typicè ac figuratè capite multatus ac mutilatus est: Nunc venio ad eũdem, sed nec eundem, quia alteratum, & quemadmodum Aristoteles de corporibus putat, ea non, nisi per privationem, ad novas formas recipiendas aptari, ita *hunc per amissionem pristinæ, se jam novæ reip. ingerentem.* Nec dubium est, quin, respectu ejus civitatis, gentium jura habeat, acquirere possit, bona possidere, permutare, contrahere, locare &c. imò & in civilium jurium communionem recipi, ac particeps munerum fieri poterit. Eo autem ipso, quo pedem infert in alieno imperio subjectam provinciam, illæ offensiones, *de quibus th. 66.*, cessant. Nam jus illud licentiæ, quod in impunitate offensionis consistit, intra territorium ejus continetur, nec latiùs patere potest, utpote, cùm nec ipse Princeps plus ultrà terrendi facultatem habeat, *arg. l. 239. §. 8. V. S.* ita nec aliis hoc jus terrendi, nocendique aliis committere potest. Et quemadmodũ extra territorium jus dicenti impunè nõ paretur *l. fin. ff. de iurisd.*, ita & jus exequenti justè resistitur. Nec movet juris gentium, sat nota, hostes ubique occidẽdi venia ex Euripide. *Ubicunq; prensum iura lædi hostem sinunt*, & ex Marcell. *in l. 3. ff. de sicar. Transfugas licet, ubicunque inventi fuerint, quasi hostes, interficere.* quia illa promiscua cædes, contra publicos hostes à jure gentium, vel etiam contra eos, qui pro talibus, etiam ex crimine habentur, à jure civili concessa, non procedit in alieno territorio. Nam cædes illa cum violatione ipsius territorii conjuncta est; ut, dum violatur is, qui subest territorio, violetur quoque is, qui præest: imò in dominum territorii major redundaret injuria, quàm in ipsum, quem solùm quis lædere cupivit, sive peregrinus, sive civis illius regionis sit.

Prin-

Principis enim est in sua provincia prospicere, ne quisquam lædatur, & quia vigent judicia, privata interdicta est vindicta, nihilque per vim agendum est; benè hoc quoque ex Euripide:

Si crimen istis aliquod hospitibus struis,
Jus impetrabis, vi quidem hinc non abstrahes?

Diss. *Clar. §. homicid. num. 66.* At illud evidens est, eum, qui talem etiam in alienis principatibus occidit, respectu ejus civitatis magistratûs, in qua occisus ille injuriis, ac privatæ offensioni, expositus erat, ejus homicidii postulari non posse, sed nullum crimen, judicium nullum, ei extimescendum esse. Bald. in *cons. 434. vers. præmittendum est. vol. 5.* Crav. *cons. 409. n. 15.* Rim. jun. *cons. 470. n. 63. & seq.* Terret. *in cons 330. n. 4. vol. 4.* Corn. *cons. 193. lib. 3.*

LXXVI.

Jam ei quasi asylum ereximus, tutelamque à privatis ac securitatem peperimus in alienis territoriis: *Quid verò respectu Principis illius reip. annon ille reposcenti domino eum restituere tenetur?* Et suadet hoc omninò ipsa juris naturalis ratio, imò jubet; parique conatu ac studio Principibus injungit, quo ipsa delicta non impunita dimittenda esse præcipit. Magnum enim pœnæ effugium aperiretur, si reo tutum in suo regno quisque Princeps præstaret perfugium, quo pacto maleferiatorum semen non in herba exstingueretur, sed in uberrimam messem excresceret. Et nonne sat probrosum, si illi, qui sceleribus prohibendis, reprobisq; puniendis divinitùs constituti, reos recipiendo, tuendoque, omnis generis crimina foveant, atque corroborent? Quod argumentum à necessaria criminum animadversione hoc in loco maximè urget Gail. Illudque, si in levioribus criminibus convenit, quantò magis in atrocissimis illis, quorum etiam executionis speciem, ne quidem effigies subterfugit. Constat præterea, illum profugum adhuc ejus reipub. subditum permanere, cùm in sui detrimentum tantùm, non in ipsius civitatis præjudicium, se civitate exuat. Nec enim suo facto se talis eximere isti subjectioni potest, maximè post delictum, quo ad pœnam isti reipubl. obligatur; aliàs enim etiam jurisdictioni eum se exemisse dicendum esset, nec citari, requiri, damnari, puniri illic posset. At immota inter Principes Naturalis lex est Justitiæ, ut jus suum cuique, & proinde etiam suus cuique subditus petenti restituatur. Imperantium

tium enim ubique mutua oportet esse officia, jurisdictionesque inter se promovere quemque, non prohibere ac impedire, decet. In regno ejusdem Regis magistratus ad hæc in reis exhibendis officia tenentur, ac coguntur imperio civili, ut delicta puniantur. *l. 7. ff. de cust. reor. l. 7. §. ult. ff. de accus. Novell. 134. c. 5. l. 15. §. 1. ff. de re ind. l. 45. §. ult. ff. de indic. l. 8. C. de Episc. aud. l. 12. §. 1. ff. de reb. aut. ind.* Ferrar. *form. execut. sentent. definit. n. 15.* Covarruv. *pract. quæst. q. 10. n. ult.* Berlich. *part. 1. conclus. 79. n. 18. & seqq.* Gail. *lib. 1. obs. 113. num. 16.* & *lib. 1. obs. 115. n. 2.* Gothofred. *ad l. ult. ff. de iurisd.* ubi etiam de Gallia aliisque refert. Idem autem, quod præstat imperium civile in magistratus inferiores, id præstare debet obligatio naturalis in ipsos Principes, qui hujus legibus se astrictos profitentur, & non minùs hoc jure obligantur, ac magistratus jure civili. Quod adeò manifestum, ut barbaris illud non innotescere aut latere eos, non potuerit. Mahumetes Turcarum Imperator reposcenti Florentinorum civitati parricidam, qui Julianum Medicem antè aras trucidaverat, non Florentinorũ copias metuens, quæ tenues erant, sed vim numinis exhorrescẽs, restituere non recusavit; itaque facinorosum, qui Constantinopolim profugerat, vinctum Laurentio Medici remisit ad supplicium, eoque nec se juris ignarum, nec obligationis immemorem, ostendit. Unde etiam Dd. testantur, Imperatorem & Cameram Imp. per literas requisitoriales, subsidiales, seu mutui compassûs (quarum forma videri potest apud Brunn. *de process. cap. 3. num. 18.*) petere ab externo Principe posse, ut executionem in bona faciat. Gail. *P. P. l. 2. cap. 17. num. 35.* Mynsing. *cent. 3. obs. 68.* Dd. *in cap. 1. §. contrahentes. de For. compet. in 6.* Adde Rebuff. *tom. 2. tract. de liter. requisitor.* Si verò id detrectet, etiam pro executione sententiæ & justitiæ bellum suscipi. Gail. *d. cap. num. 29.* & repræsalias exercere licere. Hartman. Hartm. *lib. 2. tit. 1. obs. 6. num. 8.* Berlich. *p. 1. concl. 79. num. 30. & seqq.* Quam ob rem Henricus II. Francorum Rex, cùm à Senatu Populoque Genevate per legatos petiisset, ut Baptistam Didatum Italum hominem, peculatûs reum, sibi redderent, rogati sæpius denegarent, tandem Rex questus apud Bernates, se adversus Senatum populumque Genevatem, qui tunc erat in patrocinio Bernatum, jure Clarigationis usurum.

Bernates extemplò fœcialem ad Genevates miserunt, ut Regi fugitivū redderent. Sic tandem depeculator ab iis desertus est, ne tum Regis, tum Helvetiorum, in se concitarent inimicitias, omniumque odium, quòd sceleratis asylum aperire viderentur: ut hoc ex fide literarum ipsorum Regis legatorum expressit, aliterque sentientes scribentesque reprehendit Bodin. *l. 3. de republ. cap. 6.* At hi quidem bellum ac in se paratum excidium declinarunt, quia tandem refugas remiserunt. Sed Hippotæ populi, quòd Phoci Bœoti sicarios defendere potiùs, quàm Thebanis rogantibus restituere, elegissent, factum illud totius populi internecione ac urbe, funditus deleta, luerunt. Huc pertinet Benjamitarum exemplum, quibus, cùm perfricta fronte fœdi criminis conscios exhibere ad pœnam deposcentibus fratribus, recusarent, bellum ipsius Numinis consensu decretum est, tantisque animis gestum, ut tota ferè Benjamitarum tribus exstincta, atque ex gente sua deleta, fuerit. *Jud. cap. 20. & 21.* Unde non video, quid Claro §. *fin. quæst. 38. num. 21. sub fin.* in mentem venerit, cùm principes, reos remittentes, improbet, dicatque, nunquam se *tale factum laudasse:* quin ita ferè loquitur, quasi etiam pacta, conventionesque, à vicinis principibus de remittendis reis eum in finem initæ, (ut sc. novo consensu ac pactorum vinculo ad id, quod per se jus injungere videatur, validiùs se mutuò astringerent) aliquam vim non haberent, *nec observari solere nisi ad libitum.* Itaque meritò ille censuram aliorum non effugit, & Venetos, quos affert, ab hac culpa defendit Bertazz. *consf. 410. in fin. volum. 2.* cujus verba allegat Bajard. *ad d. Clari locum.* Adiri etiam inter alios potest Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 21. num. 5. in fin.*

LXXVII.

Si autem *ipse Princeps loci, ubi degit reus, sceleris pœnas exigere ac vindicare malit, idne conveniens?* Bald. *ad l. 1 C. ubi de crim. agi oport.* prædicta de remittendis reis ita concedit, nisi ipse crimen plectere malit. Quid in aliis delictis juris sit, præcisè non moramur: tantùm de crimime, quo in rempubl. vel Principem injuria commissa est, hoc loco inquirere animus est. Putamus autem id negandum esse. Contra alium enim principem vel rempubl. nihil peccatum est, adeoque nullum jus puniendi ipsi competit: neque enim vindicta illi competit, cui nulla in-

juria facta est: nisi forte quatenus generalem principum causam asserere velit, cui sane puniendi facultas, tanta vi ac praerogativa, non conceditur, quàm ei reipubl.: quae suam ipsa injuriam persequitur ac vindicat: cumque hic reus adhuc subditus sit alterius Principis *th.76.* eoq;, quasi invito, auffugerit, non ei satis sit, si pœnam quidem de eo sumere, non autem tradere paratus sit. Nam deditione ipsâ, non pœnâ, absolvitur satisfactio. Quin, nec tanta alibi evidentia criminis est, quàm in loco admissi, Nov. *69. c. 1. §. 1.*: & quod magis est, facit maxime ad pœnarum utilitatem ac exemplum publicae ultionis, ut puniatur eo in loco reus, in quo peccatum est. Sic Symach. *in epist. Facinus ubi admissum est, ibi expiari debet.* Et Aug. *in c. 19. q. 1. ll. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. & c. 29 q. 4. XXIII. Ibi vindicetur injuria, ubi punibilis est orta praesumtio & in d. 19. Ipsa corripienda coram omnibus, quae peccantur coram omnibus.* & Modest. *in l. 3. pr. de re mil. Ibi quem plecti pœna debere, ubi facinus admissum. l. 28. §. 15. ff. de Pœn. l. 7. ff. de cust. reor. l. 13 ff de Off. Praes. & pass.* Equidem executionem in bona per judicem requisitum fieri oportet, quia hoc perfici non potest, nisi in loco, ubi bona sita sunt: quae ratio cessat in personis reorum, qui ad judicem remitti possunt. Quanquam haec necessitas remittendi hodie abrogata à *Dd. comm.* tradatur, Vult. *ad l. 1. C. de jurisd. n. 43.* Wesenb. *ad l. 1. C. ubi. de crim. ag. n. 2.* Paurmeist. *de jurisdict. lib. 2. c. 4. n. 106. & c. 8. n. 100.* Carpz. *prax. crim. p. 3. q. 110. n. 53. 56.* Wurmf. *Exerc. 9. th. 31.* Treutl. *disp. 3. th. 8. lit. F.* & per illos, quorum agmen ferè evocat Clar. *l. 5. §. fin. q. 38. n. 19. 20. & seqq.* Struv. *Exercit. 9. th. 45 & seq.* Id tamen intelligendum saltem de ea remissionis necessitate, quae ex jure civili erat: quamque Impp. Romani inter suos magistratus, praesidesque provinciarum, pœnis etiam adjectis, si omitterent, severè praeceperant. *Nov. 134. c. 5. & ll. supr. citat.* Quod ipsorum Autorum ratio, quam afferunt, manifestò prodit. Ideo enim omnes cessare remissionem ajunt, quòd status reipubl. mutatus sit; nec nostri principes ad eum modum habendi sint, quo olim Praesides provinciarum, qui unius imperio suberant: Constetque, nostros principes civili potestate ad id non cogi, nec in eos dictis pœnis animadverti posse. Submovent E. à principibus civile vinculum: non illud commune, quo diversae quoque resp. inter

inter se contignantur ac astringuntur, adeoq; id non impedit, quò minùs jure gentium idem adhuc obtineat, atque ita id vi armorum ac repræsaliarum vindicari queat.

LXXVIII.

An autem illa restitutio prævia causæ ponderatione, an nulla cognitione interveniente, solùm ad beneplacitum ac nutum efflagitãtis, fieri oporteat? prætereundum non est. Res ipsa autem docet, ejusmodi examine præcedente omninò opus esse. Cùm enim reus, qui dedendus requiritur, in ejus territorio degat, Principis est, & in quibuslibet territorii sui partibus & in quibusvis personis, quæ in eo continentur, jus administrare; efflagitatque ipsa Principis Majestas, ut omnibus ac singulis sine prolepsia, sive jus civitatis, sive incolatûs privilegium adepti, vel saltem transeundi peregrinandiq; licentiam pacti, fuerint, donec territorio suo concluduntur, jus distribuat, atque hoc totum suæ justitiæ radio illustret. Atqui id fieri nequit, nisi causâ cognitâ. Qui enim jus decerneret, qui factum ignorat? Imprimis verò cùm Princeps tueri ac defendere innocentes, qui sunt in ipsius ditione, contra quamcunque vim ac tyrannidem teneatur; ex Jer. *c.22.* & Hieron. *c. regum 23. q.5.* XXIII. *c.24. ib.* utique causæ cognitione opus est, injustáne reus vi prematur ac defendi debeat, an verò jure pœnam promeritus sit. Et hinc est, quòd in sacris quoque literis cautum sit, ne servus, qui aufugit ob crudelitatem domini sui, ei restituatur. *Deut. cap.23. vers. 15. 16.* Nec posset ferè jus naturæ aut gentium tam brutam deditionem, cujus tota ratio in ratione ac judicio est, præcipere inter Principes, cùm sui juris sint, & ex suo arbitrio, non alieno, imperent. Itaq; optimo usu hoc inter moratiores observatum est, ac de Helvetiis, Genevensibus, Lucensibus, Genuensibus, aliisque, testatur ac laudat Bodin. *lib. 3. de rep. cap.6.* quòd peregrinos, alibique damnatos, ad se confugientes, integro statu prius judicari jubeant, quàm externis Principibus, subditos ad pœnam reposcentibus, restituant. Add. Berlich. *p.1. concl.79.*

LXXIX.

Non incongruenter hoc loco itidem ratione alterius securitatis tractaretur illa quæstio: *An illi hac executione, bonorumque simul ademtione, puniti in aliis regionibus à creditorum suorum efflagitationibus, exactionibusque, immunes ac securi sint?* Sed nobis

nobis brevitatis ſtudioſis alia adhuc reſtant, quibus ex promiſſo obligamur. Lectorem interim remittimus ad Bald. *in l. 2. C. ad l. Jul. de vi publ.* Gram. *deciſ. 85. in fin.* Bald. *in tract. de dot. in 7. par. privil. 6. colum. 11. verſ. & ex prædict.* Rim. ſen. *conſ. 180. princ. vol. 1.* Calcan. *conſ. 68. num. 4.*

LXXX.

Tandem *III. Legatorum* jura reſeranda ac referenda ſunt. Perpendamus itaque hunc noſtrum, qui executionem in effigie ſuſtinuit, ſub Legati habitu ac ſpecie, comitabimur adeuntem ad offenſum Principem, circumſpicientes: *Annon eo, iure gentium ſanctiſſimo, nomine tutus ſit, ac inviolabilis?* Si verum illud, quod Diodorus Siculus: *Caduceatoribus in bello pacem eſſe:* Si verum, quod Cicero in *prima Verrina: Nonne legati inter hoſtes incolumes eſſe debent?* id neceſſarium eſt, ut illi exuant, quicquid hoſtile eſt: Hoſtilia enim molientem hoſtilia manent. Quam ſententiam Clodovæus integrè expreſſit: *Inter arma ſola legatio pacis ſequeſtra eſt: Exuit hoſtem, qui legatione fungitur.* Et ſenſum hunc adjuvant quoque verba Livii de Tarquinii legatis: Quanquam viſi ſunt commiſiſſe, ut *hoſtium loco eſſent.* & denunciatio Ætolis facta, ne mitterent legatos, *alioquin pro hoſtibus fore.* Itaque hoſtes & legati opponuntur, & *legatus* eſſe non poteſt, qui adhuc *hoſtis* eſt; non ſecus, ac ſi lupus medicus eſſet: ut ſcitè eſt in fabulis. At ex Majeſt. aut ex ſimili cauſa damnatus non poteſt hoſtem exuere. Nec enim aut in ejus, qui mittitur, arbitrio, aut principis mittentis poteſtate poſitum eſt, efficere, quo minùs ille adhuc ab ea republ. pro tali habeatur, licèt actu nihil hoſtile committat; & ſufficit, tanquam civem ſemel quid commiſiſſe, ut hoſtis ſemper ſit; quòd legati, ab alia republica ad hanc miſſi, munere utique conſequi eum non poſſe, manifeſtum eſt. Longè autem ſecus eſt in principis mittentis ſubdito, qui pro hoſte in altera repub. non habetur, niſi quatenus ſui hoſtis ſubditus ac miles eſt. Hunc itaque, ſi princeps ſuus jubeat, ut arma animumque hoſtilem deponat, pacis inſignia induat, quò legati munere fungatur, apud eos, ad quos mittitur, ſanctus eſt, inviolabilis eſt; legatiq; ille, non hoſtium, numero cenſetur. Tum ſuprà tactæ rationes hic quoque optimè militant. Si enim Princeps talem retinere nequeat. *th. 76.* quantò minùs eum inviolabilem facere pote-

re poterit prætextu legationis; præprimis, cùm perduelles illi in ea, in qua deliquerunt, republ. ne gentium quidem jura retineant *th. 70.*, inter quæ est jus legationum, legatorumque securitas, docente Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 18. n. 1. & seq.* Quin etiam in injuriam istius reip. facinorosus ille ab altero Principe, si petenti non est restitutus, retentus est, quem proinde jam vindicare potest sine injuria. Nam nec violatur territorium alterius principis, quia non in illius, sed in proprio captus est; nec principi fit injuria in legato, utpote qui, ut dictum, legatorum juris incapax fuit. Eo magis hoc procedit, quia videtur mitti in contumeliam ipsius reipubl., quam offendit, cui hoc modo illuderet, atque non ferendâ audaciâ insultaret. Non ita pridem quæstionem hanc in ipsis ferè terminis inter Statum quendam Imperii, Belgiique Provinciam agitatam memini. Cùm enim reus ille concitati tumultûs, aliorumque criminum accusaretur, contestata lite elapsus est, fiscalibusque criminalibus pergentibus, petentibusque, ut capitali pœnæ subderetur, & quia præsens non esset, pœnæ executio in effigie instituere-tur, pòst damnatus est. Legatum itaq; ad Principem quendam, negotii cujusdam expediundi causâ missum, Belgæ intercipere conati sunt, successissetque, nisi relictâ rhedâ ille fugâ sibi consuluisset. Unde utrinque plurimæ querelæ exstitêre. Ad hæc nos nihil, quibus cum Nasone Principum rimari facta non allubescit. Angelus tamen *in §. reverend. in auth. C. de SS. eccles.* in exemplo ejecti Parmâ, qui esset Ferrariensis, si ad Parmenses Ambasciator per suum Principem mitteretur, tutum eum esse ait, quem sequitur Rip. *in l. si constante, num. 46. ff. solut. matr.*, sed de bannito loquitur. Ut & Gigas *in tract. de crim. læs. Maj. lib. 3. q. 7. in fin.* id verum putat, etsi esset bannitus ex crimine læsæ Maj. cujus rationem speciatim hic excutere non vacat.

LXXXI.

Sed restat adhuc unicum, idque valde singulare, unde quàm flagranti irâ, quàm cupidâ vindictâ, quàm inexpiabili odio veteres Imperatores tales facinorosos homines prosecuti fuerint, notoriè colligitur. At quid illud? Hoc nempe, *ut ne cuiquam privatim ampliùs habere aut possidere eorum imagines licuerit, quorum memoriam hâc statuarum eversione ac quasi vulneribus SCtum peremerat.* Cùm enim & vitæ & me-

moriæ damnationem sustinuerit reus: eam autem illi statuis perpetuari credebant, vel hoc modo eludi sententiæ vim metuebant. Sex. quippe Titium talis casus prostravit: Erat innocens, lege Agrariâ latâ gratiosus apud populum, tamen, quia imaginem Saturnini domi habuerat, suffragiis eum tota cognitio oppressit. Val. Maxim. *lib. 8. c. 1. in damnat. n. 3.* Silio quoque crimini datum, quòd in vestibulo effigiem patris, Scto abolitam, habuisset. Tac. *lib. 11. Ann.*, quem, legatum inferioris Germaniæ, fuisse crimine læsæ Majest. damnatum cum uxore Sosia Galla, idem Tacit. *lib. 4. Ann.* refert, indeque imagines ejus abolitas fuisse: quas dum filius in atriis suis restituit, crimen incurrit. C. Cassius Longinus itidem ex Scto damnatus legitur, quòd imaginem Cassii, qui fuit inter percussores Cæsaris, inter gentilium stemmata retinuisset. Tacit. *lib. 6. Annal.* Sueton. *in Neron. c. 37.* Pompon. *in l. 2. §. 47. vers. huic successit. ff. de orig. iur.* idque hoc ipso exemplo testatur sat clarè Ambrosius *lib. 1. offic.* *Si Tyranni aliquis habeat imaginem, nonne obnoxius est damnationi? Memini, legisse me quosdam capitali supplicio damnatos, quia Bruti & Cassii interfectorum Cæsaris imagines asservarent.* Sed quâ pœnâ damnatus ille Cassius Longinus fuit? *Ambros.* capite eum damnatum dicit, quod & testatur Sueton. *d. l.* qui eum à *Nerone interemtum ait, quòd veteri gentili stemmate C. Cassii imagines retinuisset.* Contrà in exilium Cassium Longinum pulsum esse referunt, *Tacit. & Pompon.* Ita de eo Tacit. *d. lib. 6. Nero huic obiectavit, quòd inter imagines Maiorum Caii Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam* DUCI PARTIUM, *subiicitq́, quod exilium Cassio decretum, ac in insulam Sardiniam deportatus fuerit.* Pomponii a. verba hæc sunt: *C. Cassius Longinus Consul cum Quartino fuit, temporibus Tiberii, sed plurimum in civitate autoritatis habuit, donec eum Cæsar civitate pelleret, expulsus ab eo in Sardiniam, revocatus à Vespasiano diem suum obiit.* Scrupulum hîc non levem vides: maximè, quia à Vespasiano revocatum esse, narrat *Pompon. d. l.* Mirum sanè, si hîc sibi contrarii essent *Tacit. & Sueton.* quorum uterque eo tempore vixit, & quos proinde ea res fallere non potuit, ut patet ex Tacit. *lib. 1. Histor.* & ex Sueton. in *Neron. c. ult.* Dicemus n. de alio Cassio Longino loqui Tranquillum *d. c. 37.* Nam plures non superfuisse ex illustri Cassiorum gente, & ad unum Cas-

sium

sium Longinum totam gentem adeò celebrem, tam brevi tempore redactam, quis credat? Ex his autem vix quenquam fuisse, qui in illustris sui genitoris, Caji Cassii sc., imagines asservare saltem occultè laboraverit, probabile est, ut, eo cognito, fortè plures inde ex hac familia hasce pœnas incurrere potuerint. Idque non leve accipit præsidium ex *d. loc. Ambr.* qui de pluribus refert, qui Cassii imagines retinuerint, qui omninò ex gente Cassia fuere. Nam solet suorum quisque Majorum imagines ostentare, non aliorum. Nec repugnat, utrumque illum Cassium Longinum tam *Suetonii* quàm *Pomponii* JCtum fuisse. Nam & alium sanè eo tempore adhuc fuisse Longinum JCtum in urbe, refert *Pomponius cit. loc.* Imprimis autem confirmor, quòd Suetonius suum Cassium, quem morte affectum ait, luminibus orbatum fuisse memoret *d. c. 37.*, quod de insigni isto ac præcipuę autoritatis viro, Cassianę Scholæ principe *arg. d. l. 2. §. ult. in f.*, nullibi ab ullo autore asseritur. quem tamen Romæ consulatum gessisse constat, quem Syriæ præfectum, pacis ac militaribus artib⁹ insignem, Meherdati, in regnum reducendo, electum, celebrat Tac. *l. 12. Ann.* Quæ omnia cæco ac luminibus orbato quomodò conveniunt? qui ad Magistratum, legibus Romanorum, ne quidem assumi solebat. *l. 1. §. 5. ff. de Post.* Alium E. illum Cassium Longinum Suetonii fuisse colligitur, non adeò, nisi atrocitate hujus supplicii, à Nerone exerciti, celebrem. Sed redeamus ad id, unde digressi sumus. Si E. nec in atriis illorum imagines reliquis habere permissum, multò minùs *in funeribus*. Id enim Romæ moris fuisse, ut in funere totius familiæ principes, qui quondam patriæ splendori, familiæque gloriæ fuere, ob benè merita æternæ famæ monumentum consecuti, statuis expressi præferrentur, atque ita illi cum totius gentis luctu in imaginibus suis funus comitarentur: sicut ex Valerio Maximo, Cicerone, Tacito, &c. evidens est, & plenissimè omnia illa solennia colligit Alex. ab Alex. *gen. dier. l. 3. c. 7.* & *lib. 5. c. 24.* Lips. *in Elect. c. 29.* Atque ille, prohibitus imaginum in funeribus ducendis, usus ut spontè ex ipsa damnatæ memoriæ sententia oriebatur, ita specialiter de eo in ferendis sententiis nonnunquam deliberatum esse notamus. Sic *in rogando sententiam*, Cotta Messalinus censuit, *ne imago Libonis exequias posterorum comitaretur* Tac. *lib. 2. Ann.* Acerrimum hoc omninò vul-

nus fuisse, quis non advertit? Dum enim illæ effigies abolitæ in unoquoque funere gentilitatis deessent, evenit, ut in singulis funeribus damnatæ memoriæ recordatio apud populum refricaretur. Omissas autem tales imagines gloriæ cessisse Cassio ac Bruto, ex judicio Taciti, est, quod summoperè demiror: Funebrem enim pompam Juniæ Catone avunculo genitæ, C. Cassii uxoris, M. Junii Bruti sororis enarrans, *Viginti Clarissimarum familiarum imagines*, ait, *antelata sunt, Manlii, Quintii, aliaque eius nobilitatis nomina, sed præfulgebat Cassius & Brutus, eo ipso, quòd effigies eorum non visebatur. lib. 3. Ann. in fin.* Quemadmodum verò effigies eorum, qui hâc sententiæ severitate notabantur, ita & nomen ipsum parentis liberis sæpe interdictum fuit, adeò, ut illud mutare etiam fuerint coacti. Sic enim de Druso Libone Tacit. *l. 2. Ann. ne quis cognomentum Drusi assumeret.* De Cn. Pisonis filio Cn. Pisone, quòd ei injunctum, prænomen mutare, narrat idem autor *lib. 3. Ann.* Cui astipulatur Dio, *qui lib. 60. Lucium* (non Cnæum) *Pisonem, Cn. Pisonis & Plancinæ filium, Africa sub Claudio præfuisse tradidit.*

LXXXII.

Hoc quoque ei accedit, quod tamen minus est, contemplatione eorum, quæ antè tractavimus, quòd sicut nec ipse alios etiam in effigie sua lugere possit, ita etiam ipse *luctu omni indignus censeatur.* Idque constitutum *l. 35. pr. ff. de Relig. & sumt. fun. l. 11. §. 3. ff. de his, qui not. infam.* calculoq; historico confirmat Cujac. *libr. de prascript. c. 20.* & *libr. 6. obs. 32.* Quæ ll. constitutio id quidem primariò intendit, ut illos ipsos, quos verum supplicium, ex hoc crimine secutum, delevit, lugendos esse nolit: ad eos tamen, qui & fictum hoc supplicium in effigie passi sunt, non inconcinnè traducitur, idq; ipsâ legis ratione præeunte ac manuducente. Eâdem enim intentione hæc ficta executio, quàm vera, exercetur; Tantum autem fictio operatur in jure, quantum veritas. *secundum vulgata.* Si, E. post imaginariam executionem moriatur, more majorum lugeri non debet; nec enim quicquam refert, an statim post ipsam executionem mors sequatur, ac vita carnificis manu adimatur, indeque luctus sumat initium, an pôst demum naturaliter reus moriatur, quia non præcisè concepta est. *d. l. 11.* & *d. l. 35.* de violenta morte, quàm lictoris infert securis, sed de quavis; imò de

damna-

damnatis ac reis in universum loquitur. quales utique sunt, qui in effigie executionem sustinuére: quòd nulla executio sit sine sententia ac damnatione. Differentiam tamen inter *luctum* & *eluctum* Autores annotant. Nam ex tali crimine damnatum *elugeri* volunt, non autem *lugeri*. Lugebantur autem parentes, filii, mariti, &c. & pullis ac lugubribus vestibus fieri solebat. *l. 15. C. ex quib. caus. infam. l. 8. in fin. ff. eod.* De veste lugubri vid. Ræv. *coniect. lib. 1. c. 20.* Solus maritus elugebatur, ac ob seminis confusionem eluctum fuisse, vulgò putant. Unde, & si intra tempus luctus, i. e. annum, partus editus esset, eluctûs tempus exspirabat. Cujus differentiæ observantem etiam Prætorem fuisse in suo edicto. *l. 1. ff. de his, qui not. infam.* verb. *intra id tempus, quo elugere virum moris est, &c. antequam virum elugeret.* & JCtos *in l. 10. eod. qua virum eluget, & l. 11. §. 1. eod. quo vir elugeretur, qui solet elugeri propter turbationem sanguinis,* deprehendimus, cùm in aliis solùm simpliciter lugere ac luctus voce utantur. Abstinere itaque debet à nuptiis talis uxor, jubetque ita *d. l. 11. §. 1. & §. 3.* dum hostis non lugeri illic dicatur; adhuc tamen elugeri ab uxore ob confusionem sanguinis par sit. Luctum adeoque honestas, eluctum necessitas, induxit. Ita eluctûs nunquam impetrabatur, luctûs diminútio à Principe concedebatur ex consilio Pontificum. Unde Tacit. *lib. 1. Ann.* & Dion. *lib. 48. abducta Neroni uxore pragnante consultos à Tiberio Pontifices, an concepto, necdum edito, partu, ritè nuberet, respondisse: Si dubitatur, an sit pragnans, non ritè; si certum non esse pragnantem, ritè posse.* Add. *d. l. 11. §. 2.* Obiter ac in transitu hic noto, materiam nuptiarum olim quoque non minùs quàm hodie, ad jus Pontificum pertinuisse. Uti E. alii mariti lugendi ac elugendi sunt, ita hic perduellis tantùm elugendus, adeoque, si intra tempus peperit mulier, statim eam nubere posse, statuit Pompon. *d. l. 11. §. 2.*

LXXXIII.

Summâ eos *infamiâ notari*, tum ex iis, quæ dixi, tum ex *l. 7. de publ. iud.* sat liquet: eam tamen prætereo, quia hujus effectus à gravioribus plenè absorbentur, ac eminentiori gradu in aliis continentur. Novum igitur non est, si omnium conversatione indigni habeantur, si omnibus detestabiles existant, si omnes tecto eos, recipere, omnes cibo, potûve recreare eos ve-

tentur,&,ex formula antiqua, aqua,& igni, ipsisq; sacris, interdictum iis videatur. Ord. Cam. *p. 2. tit. 10. §. 3.* & *p. 3. tit. 48. §. 9.* Quem morem inter nostros vetustissimum esse, ex *Jul. Cæsar. in lib. 7. comment.* apparet.

LXXXIV.

Nec in eos quidem vindicta omissa est, aut tardo pede venit, *qui tales contra edictum recipiunt, abscondunt, & tecto domoq; dignantur*; quibus jam Plato *lib. 11. de legib.* pœnam præparavit, & *templis, aris, conversatione hominum, non secus, ac si ipsi facinorosi essent, ac mutuo illo contactu infecti essent, interdixit*: nec dispar sensus apud Liv. *decad. 3. lib. 6.* Unde quoque leges pari vehementia in receptatores illos, ac in ipsos reos insurgunt. *l. 1. ff. de recept. l. 13. pr. ff. de Off. Præs.* text. eleg. *in l. 1. C. de his, qui latr. vel al. crim. occult.* in qua *tales par pœna expectat, illique, qui deferre supersederunt, supplicio corporali, aut facultatum dispendio, pro qualitate personæ, ac æstimatione judicis, plectuntur. l. 2. eod. & l. 3. §. 3. de incend. ruin. naufr. receptores non minùs delinquunt, quàm adgressores.* Quod in proverbium abiit: Der Häler ist so gut/ als der Stehler. Et Fabius Quint. declam. 225. *rectè proximos transfugis, existimat, à quibus recipiuntur: Hoc enim natura idem est: facere, & probare*: Cumque illi receptatores maximo reipubl. detrimento reos à debitis pœnis subtrahant, cur iniquum sit, si ad ipsos redundet supplicium, quod ab aliis improbè avertunt. Add. *l. fin. §. fin. ff. de abig. 2. Feud. cap. 27. §. 1. & §. 2.* & Gail. ex Ord. Cam. plenissimè; ubi nec amicitiæ jura tanta esse posse, ex Cicerone, Pericle, Publio Rutilio, probat, ut id vinculum, quo patriæ astringimur, dissolvat. *de P. P. l. 2. cap. 10.*

LXXXV.

Nemesi satis hactenus litatum fuit: quod superest, benigniori filo percurrat dissertatio. Itaque jam *remedium excogitet, modosque recenseat, quibus illa executio, eiusque abominabiles comites, evitentur ac sustollantur.* Tales sunt; si *I. Præscriptione* sublata sit actio. Non minùs n. criminali actioni, quàm civili præscribitur, id est, præscripto certo tempore ac fine excluditur. Duplex autem in negotiis criminalibus, & potissimùm hoc in passu, ubi ipsum crimen post mortem corporali

pœna

pœna vindicatur, præscriptio notanda est: altera enim viventibus præsidio est, altera mortuis. Ubi de viventium accusatione agitur, recepta illa *l. 12. C. ad l. C. de fals.* regula est: *Omnia ferè publica crimina vicennio per præscriptionem tolli, nisi quibusdam nominatim ac in specie brevius vitæ tempus aut fortè longius, ll. concesserint.* Glos. *in l. libellorum. 3. §. fin.* ibi Bart. *ff. de accus.* Salicet. *in l. qui crimen. 8. n. 3. C. de accus.* Farin. *prax. crim. lib. 1. tit. 1. quæst. 1. num. 68. quæst. 10. num. 1.* Gomes. *tom. 3. variar. resolut. cap. 1. num. 5. 6.* Bossius *in tit. de accus. num. 32.* Petr. Theod. *in coll. crim. disp. 10 thes. 7. lit. D.* Itaque & de crimine Majestatis læsæ, quia nec breviore, nec etiam longiori spacio expressè ei à legibus præscriptum esse invenimus, asserere plurimi non erubescunt, quòd & illud perimatur; & quidem cum communi incendio, usitato sc. vicennio. Nec quicquam facit argumentum, quod petitur ex *l. ult. ff. ad l. Pomp. de Parricid.* *Eorum, qui parricidii pœna teneri possunt, semper accusatio permittitur.* Quid ni E. in perduellione? Nam nec in hoc quidem parricidii crimine, propter hanc legem, Doctores admitti putant, nullo temporis spacio eam accusationem finiri. Gotofred. *ad dict. l. 12. C. de Fals.* Verba enim illa: *semper accusationem permitti & actionem perpetuam esse:* in jure non infinitum, sed longum ferè, tempus designant. Et hoc plurimis legibus ostendere in promptu est. Longum tempus autem ad summum est 20. annorum spacium. Adde quòd in iis actionibus, quæ ultra 20. annos durare solent, tempus nominatim exprimi soleat *v. g.* 30. vel 40. ann. Quin ipsam hanc legem, ne quidem de lege Pomp. de Parricidis intelligendam esse, etsi sub eo titulo relata sit, sunt, *qui sibi persuasum habeant, aliisq́; eò magis persuasum esse putent, quorimantur id attentiùs.* Cùm enim hanc legem ejusque verba ad amussim referat *l. 13. de SC. Silan.* ibique planior ejus sensus sit, quia plenior, judicant, hanc legem illius quasi partem esse, atque ita *ad l. 13. mentem, huius l. ult.* verba convenientissimè interpretari posse: quòd incivile sit tota lege non inspecta, unâ aliquâ particulâ propositâ, judicare ac respondere. *l. 24. ff. de ll.* Sensus itaque erit: accusatio ex Scto Silaniano (quæ contra eos introducta est, qui, testatore vi occiso, antequam de familia quæstio habita suppliciúmve sumtum sit, hereditatem adierint, vel testamenti ta-

ti tabulas aperuerint) quinquennio finitur in extraneis, in iis verò, qui parricidio teneri possunt, semper permittitur. *Semper* E. oppositivè ad *quinquennium* dicitur, non exclusivè, ratione termini *20. annorum*, quo aliàs omnia crimina exstingui notum est. Eadem ferè responsio ad *l. 19. §. 1. ff. ad l. C. de fals.: Accusatio suppositi partûs nulla temporis præscriptione depellitur:* Nam loqui videtur respiciendo ad quinquennium, quo adulterium finitur. *Ex Cauſ.* Si mulier adulterium commiserit, partum adulterinum supposuerit, licèt 5. annis adulterii perimatur accusatio, non tamen suppositi partûs eo tempore depellitur. ea enim durat ad modum reliquorum, scil. 20. annos. Et ita Cuj., Dion. Gothofr., Wissenb., totaque schola eorum, qui juri civili quàm strictissimè inhærere sibi videntur. Diss. *Bl. tract. de præscript. 3. part. 6. par. pr.* quem refert Gigas. *tract. de Crim. læs. Maiest. lib. 1. tit. qualit. proced. in crim. læs. Maiestat.* Farinac. *prax. crim. lib. 1 tit. 1. q. 10. n. 29.* & quoad omnia crimina, graviora etiam, Dec. *tract. crim. tom. 1. lib. 3. c. 37.* Quorum sententiam & autoritatem, utpote practicorum, sequitur Carpz. *prax. crim. p. 1. q. 41. n. 9. & p. 3. q. 141. n. 52.* In Hæreticis autem præscriptionem non deprehendo. Hæresin enim esse cum pertinacia conjunctam, suprà *th. 28. n. 2.* dixi, indeque actus permanentes habet, adeoque præscriptio non invenit, ubi pedem figat: quia ad momentum ferè de novo talis delinquit. Si autem resipiscat, atque desistat ab hæresi, sine ea pœna recipi solet in ecclesiæ gremium. Sic & *Apostasiæ criminis, nullis finita temporibus, indago arcetur. l. 4. C. de Apostat.*: ex eadem, ut puto, ratione, quia singulis momentis pro apostata se gerendo, indesinenter peccatur. Altera autem illa præscriptio, quâ post mortem ad excludendam actionem opus est, in omnibus regulariter quinquennio contenta est. *tot. tit. ff. & C. ne de stat. defunct. post quinq.*; adeoque & juri accusandi tum ratione publicandorum bonorum, tum damnationis memoriæ, vel etiam quasi corporalis supplicii, si, cui crimini tale post mortem adhuc irrogari soleat, eo tempore præscribitur, sicut in cæteris publicis judiciis, ita etiam in causis Majestatis. Clar. *§. læs. Mai. n. 16. inf.*; imò & in crimine Apostásiæ. *l. 2. C. de Apost.*; cujus tamen inter vivêtes indago nullis temporibus arcetur, *ut dictum*, adeoque idem etiam in hæresi. Quod & ipse Pontifex sentire videtur *in c. 2. de præ-*

script.

ſcript. in 6. verb. *licet lex humana*; Licèt aliud ipſe induxerit in *dict.cap. 2.* Voluit autem Pontifex *in dict.cap.* ut uſque ad 40. annos hæreſeos accuſatio ratione publicationis bonorum moveri poſſit: nulla alia forſan intentione, quàm ut eo magis ſuam eccleſiam ditaret. Cùm enim hæreticorum bona, ut argumentatur Pontifex, ipſo jure fiſco ſuo cenſeantur deberi: ſicut idem pontifex jam *in c.19. de Heret. in 6.* ſanxit: eccleſiæ autem, non niſi 40. annis præſcribi, jam diu placuerit. *cap. 8. x. de Præſcript.*, commodiſſimum hoc arripuit, ut, etſi hereticus mortuus fuerit, accuſatio contra eum, etiam poſt quinquennium, moveri poſſit, duretque actio ratione bonorum, ut ea filiis etiam orthodoxis, (in quo iterum à jure civili diſſidet, quod orthodoxis hereditatem adjudicat. *l. 4. §. 6. C. de Heret. Authen. idem eſt. C. eod.* add. *l. 12. l. 15. C. eod.*) intra 40. annos auferantur. Damnationem verò memoriæ, quæ altera pœnæ ſpecies, non curat, ſed ſuo quinquennio finiri non vetat. Poſtquam autem damnatus quis, ac effigies ejus ſecuri, loco veræ executionis, ſubjecta fuit, nulla eum ampliùs præſcriptio à corporali pœna, quam rediens ſuſtinere debet, tueri poteſt, etſi poſt 50. annos captus fuit: ut bene concludit Foller. *in pract. crim. in verb. captis foriudicatis*, quem ſequitur Bajard. *ad Clar. §. fin. q. 51. n. 2.* Præſcriptio enim actionis excluſio eſt, non ſententiæ aut executionis.

LXXXVI.

Sic etiam in hiſce criminibus *II. Tranſactio* licita eſt, accuſationis evitandæ causâ. Nam illa decantatiſſima *l. 18. C. de tranſact.* in omnibus omninò criminibus, quæ pœnam ſanguinis ſeu capitis, id eſt, mortis ingerunt, tranſactionem fieri permittit, præter adulterium. Quia ignoſcendum putarunt leges ei, qui ſanguinem ſuum quali quali modo redemtum voluit. *l. 1. ff. de bon, eor. qui ante ſent.* Quam legem & Cicero expreſſit in *Orat. pro Milon. Omnis eſt honeſta ratio expediendæ ſalutis.* Ex ipſa igitur exceptione, quâ confirmatur regula, in caſibus non exceptis, non levis concluſio eſt. Imò & magnum momentum hoc habet argumentum, quòd totidem verbis idem hoc ſuppeditent Baſilic. *lib. 6. tit. 26. in fin.* ibi: *De crimine Maieſtatis, de quo etiam tranſigere licet.* Vid. Vinn. *de tranſact. cap. 7. n. 14.* Struv. *Synt. iur. civ. Exerc. 6. th. 61.* Idemque de Hæreſi Wiſſenb. *ad tit. ff. de tranſact. num. 17.*, ac de blaſphemia quoque, affert Clar.

quaest. 58. n. 24. Diversum autem non probatur. 1. quòd conscii in causa Majest. eadem severitate plectantur, quà auctores ipsi. *l. 5. §. pen. C. ad l. J. Maj.* Qui autem transigit, utique criminis conscius fuit: nemo enim cum altero transigere potuit, nisi de crimine quid cognoverit, ac proinde ejus accusatio metuatur; imò ipsa transactione se scientiam habere, quis profitetur, ac se prodit. Nam Resp. per conscios ad effectum pœnæ hujus criminis non intelligerem, nudè scientes, sed asseclas, participes consiliorum, factionis consortes, etsi nihil tentassent; aut scientiam cum approbatione. Quod verba & sensus legis sat innuunt. *d. l. 5. §. 6. & §. 7.* ubi, ubi, *satellites conscii, ac ministri, &c. In exordio inita factionis initam prodiderit, &c. Usus factione, consiliorum arcana patefecerit*; quanquam etiam quosdam novi ex sola scientia punitos, quasi & tacens nocens fiat. Et quinam pro consciis habeantur, apparet quadantenus etiam ex *l. 6. ff. de Parricid.* ubi etiam extranei conscii culei pœna plectuntur. Deinde conscius ac transigens, ne in *d. l. 5.* incurrat, non requiritur, ut accuset, sed sufficit ad pœnæ evitationem, imò ad præmium, ut judici denunciet: Differunt enim plurimùm *deferre* & *accusare*; hic argumentis causam instruit; ille defert, ut magistratus inquirat: adeoque non obstante transactione, quæ de accusando tantùm agit, strictique juris est, deferre ac indicare potest, imò tenetur. Brun. ad d. *l. 5. num. 6*; magistratui verò aut fisco illa transactio impedimento non est. *l. 5. §. ult. de V. publ.* Gail. *l. 1. P. P. cap. 11. num. 20.* Struv. *Exerc. 6. th. 61. in fin.* Nec 2. ex eo asseritur, quòd abolitio in hoc crimine fieri nequeat. *l. ult. C. de abol.*: unde non videtur accusator desistere posse citra abolitionem. *l. 1. §. 7. ad SCt. Turpil.* Nam abolitio conceditur à magistratu, qui non debet tanti criminis indagationem omittere: Transactio verò fit cum reo, qui excusatur, quòd sanguinem suum quovis modò redimere voluerit. *l. 1. de bon. eor. qui ant. sen. l. ult. ff. de Pravar.*; Unde actor citra abolitionem licitè desistit. De abolitione, quæ tollendæ accusationis quoque species est, vide *d. l. 3. C. de abol.* Quia autem abolitiones illæ, teste Wesenb. *ad tit. ff. de accus. n. 13.* Argentræ: *de consuet. Britann. art. 274. num. 7. & seq.* Bugnyon. *in leg. abrog.* Struv. *Exerc. 49. thes. 89. pr.* moribus nostris non servantur, eas prætermittimus.

LXXXVII.

Sed hisce modis crimina tantùm, antequam ad executionem deproperent, suffocantur, executio ipsa non tollitur ac enervatur. *Factâ E. executione, solùm restat Restitutio*, quæ principum est, reumque post fictam executionem à vero supplicio liberat. Nam ita illa Principi propria fuit, ut ne senatoribus Rom. sententias retractare licuerit. *Sed non senatui* inquit, Tac. *l.3. libertas ad pœnitendum fuit. l.15. C. de pœn.* Effert a. se Principalis Restitutio vel per viam *Justitiæ*, vel per viam *Gratiæ* atque *Indulgentiæ*. *Illa* damnatis, sed non verè reis, succurrit: hæc reis; *illa* innocentem invenit: *hæc* quasi facit. Nullum autem dubium est, si restitutio fiat per viam *Justitiæ*, ubi probatâ à reo innocentiâ prior sententia rescissa est, quin recipiat bona omnia, actiones & activè & passivè; tum omnia jura, tam personalia, dominium in servos, patriam potestatem in liberos, jura patronatus in libertos; imò & tutelas: quàm realia, sive ipsum dominium rei directò respiciant, sive indirectò, vel saltem utilitatem, ut usumfructum, ac reliquas servitutes; item Feuda, emphyteusin &c.; quin & obligationes ex omnibus contractibus, stipulationibus &c.; modos acquirendi, sive jure civili confirmatos sive inventos; non modò res sed & fructus. Quoad fructus tamen dissentit Per. ad *tit. C. de sent. pass. & rest. n.15.* Sic & jura civitatis, capacitatem munerum capessendorum, famam, honores, activam ac passivam testamenti factionem, jus dicendi testimonii, ejus certitudinem admissionemq;, ut omni exceptione major sit; Uno Verbo, omnia; nullo habito respectu, an quid de iis in alios translatum sit, an non. Hîc enim justitiæ vigor est, non principalis privilegii ac gratiæ effectus: nec de suo quid concedit Princeps, sed per restitutionem decidit, reum antea iniquè fuisse condemnatum, & consequenter rem quoque ipsius iniquè alienatam, jura injustè ademta. Adeoque rescissâ sententiâ alienatio rescinditur, quæ nullo jure facta erat; omniaque omninò ad eum statum rediguntur, quasi nunquam fuisset condemnatus. *l.24. §.4. ff. de minor.* ibi: *Restitutio ita facienda est, ut unusquisq; in integrum jus suum recipiat: & l.27. §.2. eod. & l.38. §.4. ff. de usur.* ibi: *Nam propter id agit, ut perinde sint omnia, atque si nihil alienatum esset: & verbum restituo plenissimam habet significationem, ut & fructus restituantur.* Et restitutio in inte-

integrum dicitur totius causæ redintegratio. *add. l. 2. C. in quib. cauſ. in int. reſtitut. non eſt nec. l. 4. C. de his qua vi met. cauſ.* Hæc autem reſtitutio, quâ cognitâ causâ reus innocens pronunciatur, liberatque tum à judicio, tum ſententia, tum executione, longè differt ab ea admiſſione ad novum proceſſum, ne obſtet reo ſententia, quò minus innocentiam poſt finitum judicium defendat, & contra ſtrictum jus concedi nonnunquam ſolet à principe, vel à ſenatu, ſi princeps hoc ei conceſſerit, à quo reus antè damnatus fuit. Et fit itidem per reſtitutionem: de quo Clarus § *fin. q. 44. n. 6. n. 11. in fin. & q. 94. n. 12.* & nos *th. 59.* Illa enim admiſſio ad probandam innocentiam novum judicium aperit, nec intereà prior ſententia tollitur, ſed ſolùm differtur: hæc autem reſtitutio planè cognitionem poſt impetratam reſtitutionem aufert ac ſubmovet, ut reſtet ampliùs nulla quæſtio aut cognitio.

LXXXVIII.

Gratioſa verò *reſtitutio* tam pinguè ſuccurrere non ſolet, & ut ipſa parcior eſt, nec tàm frequenter à Principe conceditur, ita & parciùs nobis jura priſtina, nec tam prolixa ac larga manu, concedit. Omnis autem menſura hujus eſt veniam indulgentis Principis voluntas. Aliis enim pœnæ ſaltem gratiam facit; aliis & bona & amiſſa jura reſtituit. *Reſtitutionibus illis gratia, qua ampliſſimè pleniſſiméque à principe fiunt,* omnia recipimus bona, jura, ordinem, honores & dignitates. Ideoque Conſtant. *in l. ult. §. fin. C. de ſent. paſſ. & reſtit. Tantum ad reſtitutionem indulgentia valeat, quantum ad correctionem ſententia valuit, utque deportationis ipſum per ſe nomen rerum omnium ſpoliatio eſt, ita indulgentia reſtitutio bonorum ac dignitatis, uno nomine, amiſſorum omnium ſit recuperatio.* Et Antoninus *in l. 1. C. eod.* Julianum Licianum reſtituens ſic ait: *Reſtituo te in integrum provincia tua; & adiecit: Ut autem ſcias, quid ſit reſtituere in integrum: Honoribus & ordini tuo & omnibus cateris te reſtituo.* Itaque omnia jura, etiam civilia, recuperat, bona, actiones; imò & teſtamentum antè factum convaleſcit, & ex jure poſtliminii ad reſtitutionem ex indulgentia argumentatur. *l. 6. §. pen. ff. de iniuſt. rupt.*; jura agnationis cognationiſq;. *l. f ff. l. fin. C. de ſent. paſſ. & reſtit.*, ſucceſſionis. *l. 1. §. 4. Tertull. & ſin.* Ita autem demum reſtitutus illa omnia recipit, ſi bona vel honores

vacent,

vacent, i. e. si nondum legitimis modis in alios bona translata sint. *arg. l. 24. §. 3. & 4. ff. de min.*, locus aliis concessus. *l. 2. ff. de decur. l. 3. §. 2 ff. de muner. l. 13 ff. ad l. C. de fals.* add. *l. 1. & 2. C. de his, qui in exil. l. 15. pr. ff. ad munic. l. 8. ff. de postul. l. 13 §. 7. ff. de his, qui not. infam.* Restitution. non trahitur *ad ius alteri quaesitum*, quod ei invito, ne quidem à Principe, auferri potest. & quod quis à fisco, sive per donationem, sive emtionem, vel quemcunque contractum, consecutus est, de eo à nemine molestari debet, sed omnium tutissimus esse. *l. 3. C. de quadrien. praescript. t. t. C. ne fisc. rem vend. §. fin. Inst. de usuc.* Blum. *proc. Cam. tit. 77. §. 47.* Gail. *l. 2. P. P. c. 19. n. 4. & 9.* Nec potest Princeps hoc per gratiam concedere, quod ipse non habet. *c. 79. de Reg. iur. in 6.* Hinc nec privilegia aut gratiae cum cujusque injuria tribuuntur. *l. 1. §. 10 ne quid in loc. publ.*, sed ita accipiuntur, salvo jure tertii. *l. pen. C. de prec. imp. off. c. 8. de rescript. in 6.* Regula enim haec: *Nemini ius quaesitum auferendum*, juris naturalis est, & proinde principem quoque tenet. Quaeritur itaque, *an non saltem pretium restituere teneatur, quatenus factus est locupletior?* Neg. 1. Quia interim pleno jure res ipsius fuit, & ut dominus legitimus, alienare potuit. adeoq; de eo amplius non tenetur. Nec n. quod hoc casu alienatum est, ad eorum exemplum contingit, quibus res non stabili ac perpetuo jure conceditur, sed sub conditione, ut post adimatur: ut heredi in legato conditionali, pendente conditione. *l. 29. §. 1. qui & à quib.*: bon. fid. possessori ratione fructuum exstantium. *l. 48. pr. ff. de acq. rer. dom.*, qui domino vindicanti restituendi sunt. *l. 22. C. de Rei vind.*: in donatione mortis causa. *l. 66 ff. de R. V. l. 29. ff. de mort. caus. don.*: emtori, qui emit cum lege addictionis in diem, usque dum melior conditio offeratur. *l. 41. pr ff. de R. V.*; qui omnes saltē jure dominii revocabilis fruuntur. Nam illic veniente conditione jus prioris resolvitur, adeoque etiam alienatio: hîc a. non eventus speratur, nec sub conditione tenet possessor, sed plenè, & ex intentione, etiam ipsius Principis, dum res occupantur, irrevocabiliter. 2. Quia nequit restitutus plus petere, quàm restitui ipsi ex pristinis bonis à Principe potuit. Sed quod in alios translatum est, princeps restituere nequit. *Auferret enim alteri ius quaesitum*; quod, ut dictum est, ne principi quidem licet sine justitiae offensione. Quò tendit illud Ambros. *in c. 10. q. 5. XIV. si non potest subveniri alteri,*

teri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quàm privari alterum: adeò, ut ne minimum quidem juris sibi per hanc restitutionem prætendere possit, cùm tota res alterius juris sit, indeque nec æstimationem ritè petit, quæ deberi solet, ubi res ipsa debetur, dari autem non potest: adeoq; nihil refert, *an ille ex onerosâ, vel lucrativâ, causâ possidere desierit?* Diss. Bart. *per l. 25. §. 1. ff. de pet. hered.* Zœs. *per l. 18. ff. quod met. caus. ad tit. ff. de sent. pass. &c.* R. longè aliud in petitione hereditatis: nec semper & ubique pretium in locum rei succedit: imò planè non, si res ipsa ne quidem debeatur. Si a. se in prona voluntate Principis restituentis fundant dissentientes, non negamus, quòd in fisci sui præjudicium hoc possit Princeps facere, fiscoque, ut precium restituat, injungere. *Quid de fructibus medio tempore perceptis ac consumtis?* Non restituendos restituto arbitror. Possessor enim autoritate Principis, adeoque justè, rem tenuit, &, tanquam ex re sua, fructus lucrat⁹ est. *l. 11. ff. de acq. poss. Auth. idem est. C. de haret.* Ord. Camer. *part. 3. tit. 46. §. ult.* Blum. *proc. Cam. t. 77. §. 48. 49.* Nec obest, quòd, jussus restituere rem, intelligatur *restituere cum fructibus. l. 35. ff. de V. S. l. 38. §. in Faviana ff. de usur. l. 173. R. I.* Quia in Fabiana, ad exhibendum, vindicatione & simil. petimus quid ab alio, qui jure possessor non fuit: at cùm restitutus à Principe bona recuperat, res ei ex gratia restitui juberentur, ab iis, qui optimo jure domini erant. Quod autem diximus in restitutionem non venire ea, quæ in alios jam translata sunt, id de ea *translatione intelligendum est, quæ facto hominis contigit.* Factum enim hominis justè possidentis, ac alienandi facultatem habentis, efficit, ut tertio jus quæsitum sit, adeoque cum talibus contrahentes, quia nullus adest juris defectus, tutos præstat ipsum synallagma, seu illud negotium, quod inter eos gestum est, nec restitutioni res illas obnoxias esse permittit; maximè quòd non debeat defraudari, qui fisci fidem sequitur. *dd. supra ll.* Secus est, *si quis immediatè per sententiam jus suum consecutus est.* Cùm enim jus illud primò ex sententia dimanet, & acquirens immediatè causam suam à condemnatione trahat, & jus suum, quod putat se adeptum esse, fundet non nisi in sententia, non potest non illud extingui, si sententia per restitutionem rescindatur, & causa ad non causam reducatur; eodem ferè modo, quo res, apud fiscum extantes, necdum ejus facto alienatæ, restitutione

sen-

sententiâ rescissâ, recuperantur. Sic jus Patronatûs, quia non facto hominis, sed ipsâ deportationis, sententiâ amittitur; sic patria potestas sola damnatione perit, ac filius fit sui juris, cùm deportatus pro mortuo habeatur; adeoq; & patronus & pater hæc jura recipiunt. Et de patrono asserit illud sat evidenter *l.1. §.1. ff. de sent. pass & rest.* ibi: *Post restitutionem ius patroni non exstinctum videri. l.21. pr. ff. de iure patr. l.3. §.7. ff. de bon. lib. l.10. §6. ff. de in ius vocand.* & quòd filius in patris potestaté redigatur, cui bona ac dignitas restituta sunt, manifestò apparet ex *l.13. C. de sent. pass. l.1. §.1. ff. eod.* add. *l.1. §.4 & §.8. ff. ad SCt. Tertull. Non obst. l.6. l.9. C. de sent. pass.* Nam illic de nuda remissione pœnæ agitur, non plena restitutione. Et in illis casibus non *tam eripi quid videtur, quàm cessare causam acquirendi,* ait Perez. *ad d. tit. n.6.* Quòd autem Zœs. *ad hunc. tit. ff. n.6.* solùm actiones reales posse restitui statuat, personales non item: oppidò falsum est, nec rectè procedit, dum ita argumentatur: *Actiones per deportationem tolluntur: Obligationes* verò, *quæ semel sublata sunt, nunquam reviviscunt, nisi legitimis modis, inter quos non est restitutio.* Nam restitutio omninò legitimus modus est; & contractuum personaliumque jurium restitutorum frequens mentio fit, ut in *l.3. ff. l.12. & pass. C. de sent. pass.* imò & tales directis, non utilibus, actionibus agere & conveniri possunt. Ast directas actiones locum habere, insolens fortè cuidam videri posset; sed satis expeditum est. Nam cùm constitutiones ac rescripta principum directò jus faciant, legumq; vim habeant, ambitu non est opus, sed directæ actiones concessæ sunt; at si Prætor ita restitueret, & veniam daret, qui jus facere non potest, sed tantùm quasi jus: nec heredem, sed bonorum possessorem, id est quasi heredé, non directis, sed utilibus loc⁹ esset. Patet itaq; certissimum esse, quod probat Jas. *ad l. Gallus. §. & quid si tantùm. ff. de lib. & posth. her. n.73.* Men. *de recup. poss. 10. remed. n.11. & seqq.* restitutionem per viam justitiæ multò pleniorem esse, quàm per viam gratiæ. Restitutione ex justitia, & fructus, & omnia, sive sententiæ sola vi, sive accedente contractu, in alios translata, redintegrantur ac restituuntur: quasi per justitiæ viam res ad sua primordia reducatur, ceu nunquam damnatio intervenisset; Gratia autem demum post delictum incipiat, tunc sc., cùm intervenerit: non priùs; indeque res, medio tempore gestas, regulariter relinquat

linquat in medium, nec quoad eas, ut & fructus, &c. habeatur, ac si nunquam deliquisset. Hæ tamen restitutiones, sive gratiæ sive justitiæ sint, etiam post mortem fieri possunt, & non solùm personas restitui legimus, sed & imagines reponi, memoriam iterum coli ac resuscitari, advertimus: Sic Galbæ & Pisonis memoria restituta apud Tacit. *lib. 4. histor.* Ita in Colinium lata sententia rescissa, ac honor ei restitutus apud Thuan. *l. 53.* Add. Frantzk. *Exc. Jurid. Exer. 13. q. 6.* Cæterum Pragmatici in quibuscunque gratiæ concessionibus *interinationem* requirunt. Est autem *Interinatio* approbatio & excussio, quæ quandam causæ cognitionem habet, quoad subreptionem & obreptionem gratiæ, impetratæ à principe; eum E. in finem admissa hæc cognitio, non, ut innocentia probetur, sed ne de venia ampliùs dubitetur. Vid. Clar. *§. fin. q. 59. n. 10.* Perez. *ad d. tit. C. de sent. pass. n. 16.*

LXXXIX.

Huc quoque pertinet *Cancellario ex libro damnatorum*, vulgò das Blutbuch / in quo illorum nomina referri solent, qui perpetrato facinore aufugére, ut quocunque tempore reperiantur, judicio sistantur, pœnis promeritis subjiciantur: Quæ tn. potiùs quid consequens est restitutionis: licèt non negem, per hunc actum, etiam ipsam restitutionem concedi posse. Sed de hac materia vide prolixè Clar. *l. 5. §. homicidium. num. 62.* ibique Bajard. *283. & mult. seqq.* Mascard. *de probat. concl. 162.* Menoch. *arb. jud. quæst. q. 283. n. 3.* Gilhaus. *arb. crimin. c. 6. p. 1. §. 18. n. 15. n. 22. & seq.*

XC.

Hæc quoad modos tollendæ executionis. Moneret nos ordinis ratio, ut ad modernam quoque in *Nomine executionem*, quæ huic valdè vicina est, deveniamus: Intelligo illam, quæ in bellico jure frequens est, & refugos milites manet, nempe, quà militiam deserentis, vel inobedientis, & quocunq; saltem modo fugitivi, prævia publica citatione non comparentis, nomen, in vicem ipsius personæ, patibulo affigitur, ac ita absens nomine eum locum præoccupat, quem rediens corpore. Utenim illa executio in effigie imaginem mactat: ita hæc nominalis, ut ita dicam, executio, nomen suspendit; & ut illa præsagium supplicii cujuscunque est: ita hæc crucis, ac suspensionis. Solent

lent n. jam inde vetustissimis temporib⁹ militiæ desertores cruce ac patibulo apud Germanos plecti, Tacito teste. Hoc autem executionis genus, quo nomina patibulo applicantur, atque affiguntur, usitatum satis est, ac toto die contingit, magisque adhuc frequentatur, quàm illa in effigie executio. Origo autem ejus ab executione imaginis non multum discrepat, facileque colligitur ex iis, quæ *thes. 10.* suprà tradidimus. Cætera autem, si suscipere vellemus, atque integram naturam, proprietates, requisita, ac quicquid circa eam publica sanctio constituit, vel consuetudo ferè universalis introduxit, afferremus; novum pelagus denuò nobis ingrediendum esset, qui concussâ, ac penè naufragâ navi ægrè Syrtes præternavigavimus, ac, in portum timidi recepti, altum omne timemus. Illum saltem locum de affixis patibulo nominibus ex jure militari, optimè antè dicta declarantem, adjungo, qui in Christiani IV. Regis Daniæ legibus ac scitis militaribus continetur *art. 29.* his verbis: So einer entweder zum Feinde/ oder sonsten hin weg/ geloffen/ davon soll der Feld-Marschalck/ und die andere Officier Recht über ihn halten/ und zu Roß und zu Fuß durch ein Außblasen und Trummenschlag ihn vor Feldflüchtig erklären: und soll ihm alßdann zugleich ein Gerichtstag angesetzet werden/ stellet er sich ein/ und seine Entschuldigung findet alßdann statt/ ist er frey; bleibet er aber auß/ soll er ehrloß erkant/ und sein Name an Galgen geschlagen werden. Wer wissendlich mit solchem umbgehet/ in was Käyserthum oder Königreich es auch seyn möge/ soll solchem verloffenen Schelmen gleich geachtet werden. Vid. Petr. Papp. *in Corp. Jur. militar.*

XCI.

Posset fortè huc inter affinia alia executionis species annecti, *quæ in Scriptis ac promulgatis Autorum voluminibus fieri consuevit.* Scripta enim quodammodo imagines sunt virorum illustrium, quibus, ut minùs differant illæ ab archetypo, se ipsos exprimunt atque depingunt summi illi artifices. Per illa scripta spirant Autores, ac chartaceis istis monumentis æternitati, quovis ære ac marmore perenniùs, consecrantur. In libris suis vivunt, vitamque, quam operibus suis dederunt, eandem ab ipsis partubus, cum fœnore quodam immortalitatis, reposcunt. Manet itaque litera scripta, dumque multorum ocu-

nus fuisse, quis non advertit? Dum enim illæ effigies abolitæ in unoquoque funere gentilitatis deessent, evenit, ut in singulis funeribus damnatæ memoriæ recordatio apud populum refricaretur. Omissas autem tales imagines gloriæ cessisse Cassio ac Bruto, ex judicio Taciti, est, quod summoperè demiror: Funebrem enim pompam Juniæ Catone avunculo genitæ, C. Cassii uxoris, M. Junii Bruti sororis enarrans, *Viginti Clarissimarum familiarum imagines*, ait, *antelata sunt, Manlii, Quintii, aliaque eius nobilitatis nomina, sed præfulgebat Cassius & Brutus, eo ipso, quòd effigies eorum non visebatur. lib. 3. Ann. in fin.* Quemadmodum verò effigies eorum, qui hàc sententiæ severitate notabantur, ita & nomen ipsum parentis liberis sæpe interdictum fuit, adeò, ut illud mutare etiam fuerint coacti. Sic enim de Druso Libone Tacit. *l. 2. Ann. ne quis cognomentum Drusi assumeret.* De Cn. Pisonis filio Cn. Pisone, quòd ei injunctum, prænomen mutare, narrat idem autor *lib. 3. Ann.* Cui astipulatur Dio, *qui lib. 60. Lucium* (non Cnæum) *Pisonem, Cn. Pisonis & Plancinæ filium, Africæ sub Claudio præfuisse tradidit.*

LXXXII.

Hoc quoque ei accedit, quod tamen minus est, contemplatione eorum, quæ antè tractavimus, quòd sicut nec ipse alios etiam in effigie sua lugere possit, ita etiam ipse *luctu omni indignus censeatur.* Idque constitutum *l. 35. pr. ff. de Relig. & sumt. fun. l. 11. §. 3. ff. de his, qui not. infam.* calculoq; historico confirmat Cujac. *libr. de præscript. c. 20.* & *libr. 6. obs. 32.* Quæ ll. constitutio id quidem primariò intendit, ut illos ipsos, quos verum supplicium, ex hoc crimine secutum, delevit, lugendos esse nolit: ad eos tamen, qui & fictum hoc supplicium in effigie passi sunt, non inconcinnè traducitur, idq; ipsâ legis ratione præeunte ac manuducente. Eâdem enim intentione hæc ficta executio, quàm vera, exercetur; Tantum autem fictio operatur in jure, quantum veritas. *secundum vulgata.* Si E. post imaginariam executionem moriatur, more majorum lugeri non debet; nec enim quicquam refert, an statim post ipsam executionem mors sequatur, ac vita carnificis manu adimatur, indeque luctus sumat initium, an pòst demum naturaliter reus moriatur, quia non præcisè concepta est. *d. l. 11.* & *d. l. 35.* de violenta morte, quàm lictoris infert securis, sed de quavis; imò de

damna-

damnatis ac reis in universum loquitur. quales utique sunt, qui in effigie executionem sustinuére: quòd nulla executio sit sine sententia ac damnatione. Differentiam tamen inter *luctum* & *eluctum* Autores annotant. Nam ex tali crimine damnatum *elugeri* volunt, non autem *lugeri*. Lugebantur autem parentes, filii, mariti, &c. & pullis ac lugubribus vestibus fieri solebat. *l.15.C.ex quib.caus.infam. l.8. in fin.ff.eod.* De veste lugubri vid. Rev. *conject.lib.1. c.20.* Solus maritus elugebatur, ac ob seminis confusionem eluctum fuisse, vulgò putant. Unde, & si intra tempus luctus, i.e. annum, partus editus esset, eluctûs tempus exspirabat. Cujus differentiæ observantem etiam Prætorem fuisse in suo edicto. *l.1.ff. de his, qui not.infam.* verb. *intra id tempus, quo elugere virum moris est, &c. antequam virum elugeret.* & JCtos *in l.10. eod. qua virum eluget, & l.11. §.1. eod. quo vir elugeretur, qui solet elugeri propter turbationem sanguinis*, deprehendimus, cùm in aliis solùm simpliciter lugere ac luctus voce utantur. Abstinere itaque debet à nuptiis talis uxor, jubetque ita *d.l.11. §.1. & §.3.* dum hostis non lugeri illic dicatur; adhuc tamen elugeri ab uxore ob confusionem sanguinis par sit. Luctum adeoque honestas, eluctum necessitas, induxit. Ita eluctûs nunquam impetrabatur, luctûs diminutio à Principe concedebatur ex consilio Pontificum. Unde Tacit. *lib.1. Ann.* & Dion. *lib. 48. abducta Neroni uxore pragnante consultos à Tiberio Pontifices, an concepto, necdum edito, partu, ritè nuberet, respondisse: Si dubitatur, an sit pragnans, non ritè; si certum non esse pragnantem, ritè posse.* Add. *d.l.11.§.2.* Obiter ac in transitu hîc noto, materiam nuptiarum olim quoque non minùs quàm hodie, ad jus Pontificum pertinuisse. Uti E. alii mariti lugendi ac elugendi sunt, ita hic perduellis tantùm elugendus, adeoque, si intra tempus peperit mulier, statim eam nubere posse, statuit Pompon. *d.l.11. §.2.*

LXXXIII.

Summâ eos *infamiâ notari*, tum ex iis, quæ dixi, tum ex *l. 7. de publ.ind.* sat liquet: eam tamen prætereo, quia hujus effectus à gravioribus plenè absorbentur, ac eminentiori gradu in aliis continentur. Novum igitur non est, si omnium conversatione indigni habeantur, si omnibus detestabiles existant, si omnes tecto eos, recipere, omnes cibo, potûve recreare eos ve-

tentur,&,ex formula antiqua, aqua,& igni, ipsisq; sacris, interdictum iis videatur. Ord. Cam. *p. 2. tit. 10. §. 3.* & *p. 3. tit. 48. §. 9.*, Quem morem inter nostros vetustissimum esse, ex *Jul. Cæsar. in lib. 7. comment.* apparet.

LXXXIV.

Nec in eos quidem vindicta omissa est, aut tardo pede venit, *qui tales contra edictum recipiunt, abscondunt, & tecto domoq; dignantur*; quibus jam Plato *lib. 11. de legib.* pœnam præparavit, & *templis, aris, conversatione hominum, non secus, acsi ipsi facinorosi essent, ac mutuo illo contactu infecti essent, interdixit*: nec dispar sensus apud Liv. *decad. 3. lib. 6.* Unde quoque leges pari vehementia in receptatores illos, ac in ipsos reos insurgunt. *l. 1. ff. de recept. l. 13. pr. ff. de Off. Præs.* text. eleg. *in l. 1. C. de his, qui latr. vel al. crim. occult.* in qua *tales par pœna expectat, illique, qui deferre supersederunt, supplicio corporali, aut facultatum dispendio, pro qualitate personæ, ac æstimatione judicis, plectuntur. l. 2. eod. & l. 3. §. 3. de incend. ruin. naufr. receptores non minùs delinquunt, quàm adgressores.* Quod in proverbium abiit: Der Häler ist so gut/ als der Stehler. Et Fabius Quint. declam. 225. *rectè proximos transfugis, existimat, à quibus recipiuntur: Hoc enim natura idem est: facere, & probare*: Cumque illi receptatores maximo reipubl. detrimento reos à debitis pœnis subtrahant, cur iniquum sit, si ad ipsos redundet supplicium, quod ab aliis improbè avertunt. Add. *l. fin. §. fin. ff. de abig. 2. Feud. cap. 27. §. 1. & §. 2.* & Gail. ex Ord. Cam. plenissimè; ubi nec amicitiæ jura tanta esse posse, ex Cicerone, Pericle, Publio Rutilio, probat, ut id vinculum, quo patriæ astringimur, dissolvat. *de P. P. l. 2. cap. 10.*

LXXXV.

Nemesi satis hactenus litatum fuit: quod superest, benigniori filo percurrat dissertatio. Itaque jam *remedium excogitet, modosque recenseat, quibus illa executio, ejusque abominabiles comites, evitentur ac sustollantur.* Tales sunt; si *l. Præscriptione* sublata sit actio. Non minùs n. criminali actioni, quàm civili præscribitur, id est, præscripto certo tempore ac fine excluditur. Duplex autem in negotiis criminalibus, & potissimùm hoc in passu, ubi ipsum crimen post mortem corporali

pœna

pœna vindicatur, præscriptio notanda est: altera enim viventibus præsidio est, altera mortuis. Ubi de viventium accusatione agitur, recepta illa *l. 12. C. ad l. C. de fals.* regula est: *Omnia ferè publica crimina vicennio per præscriptionem tolli, nisi quibusdam nominatim ac in specie brevius vita tempus aut fortè longius, ll. concesserint.* Glos. *in l. libellorum. 3. §. fin.* ibi Bart. *ff. de accus.* Salicet. *in l. qui crimen. 8. n. 3. C. de accus.* Farin. *prax. crim. lib. 1. tit. 1. quæst. 1. num. 68. quæst. 10. num. 1.* Gomes. *tom. 3. variar. resolut. cap. 1. num. 5. 6.* Bossius *intit. de accus. num. 32.* Petr. Theod. *in coll. crim. disp. 10 thes. 7. lit. D.* Itaque & de crimine Majestatis læsæ, quia nec breviore, nec etiam longiori spacio expressè ei à legibus præscriptum esse invenimus, asserere plurimi non erubescunt, quòd & illud perimatur; & quidem cum communi incendio, usitato sc. vicennio. Nec quicquam facit argumentum, quod petitur ex *l. ult. ff. ad l. Pomp. de Parricid. Eorum, qui parricidii pœna teneri possunt, semper accusatio permittitur.* Quid ni E. in perduellione? Nam nec in hoc quidem parricidii crimine, propter hanc legem, Doctores admitti putant, nullo temporis spacio eam accusationem finiri. Gotofred. *ad dict. l. 12. C. de Fals.* Verba enim illa: *semper accusationem permitti & actionem perpetuam esse:* in jure non infinitum, sed longum ferè, tempus designant. Et hoc plurimis legibus ostendere in promptu est. Longum tempus autem ad summum est 20. annorum spacium. Adde quòd in iis actionibus, quæ ultra 20. annos durare solent, tempus nominatim exprimi soleat *v. g.* 30. vel 40. ann. Quin ipsam hanc legem, ne quidem de lege Pomp. de Parricidis intelligendam esse, etsi sub eo titulo relata sit, sunt, *qui sibi persuasum habeant, aliisq; eò magis persuasum esse putent, quo rimantur id attentiùs.* Cùm enim hanc legem ejusque verba ad amussim referat *l. 13. de SCt. Silan.* ibique planior ejus sensus sit, quia plenior, judicant, hanc legem illius quasi partem esse, atque ita *ad l. 13. mentem, hujus l. ult.* verba convenientissimè interpretari posse: quòd incivile sit tota lege non inspecta, unâ aliquâ particulâ propositâ, judicare ac respondere. *l. 24. ff. de ll.* Sensus itaque erit: accusatio ex Scto Silaniano (quæ contra eos introducta est, qui, testatore vi occiso, antequam de familia quæstio habita suppliciúmve sumtum sit, hereditatem adierint, vel testamenti ta-

ti tabulas aperuerint) quinquennio finitur in extraneis, in iis verò, qui parricidio teneri possunt, semper permittitur. *Semper* E. oppositivè ad *quinquennium* dicitur, non exclusivè, ratione termini *20. annorum*, quo aliàs omnia crimina exstingui notum est. Eadem ferè responsio ad *l. 19. §. 1. ff. ad l. C. de fals.*: *Accusatio suppositi partûs nulla temporis praescriptione depellitur:* Nam loqui videtur respiciendo ad quinquennium, quo adulterium finitur. *Ex Caus.* Si mulier adulterium commiserit, partum adulterinum supposuerit, licèt 5. annis adulterii perimatur accusatio, non tamen suppositi partûs eo tempore depellitur. ea enim durat ad modum reliquorum, scil. 20. annos. Et ita Cuj., Dion. Gothofr., Wissenb., totaque schola eorum, qui juri civili quàm strictissimè inhærere sibi videntur. Diss. *Bl. tract. de praescript. 3. part. 6. par. pr.* quem refert Gigas. *tract. de Crim. las. Maiest. lib. 1. tit. qualit. proced. in crim. las Maiestat.* Farinac. *prax. crim. lib. 1 tit. 1. q. 10. n. 29.* & quoad omnia crimina, graviora etiam, Dec. *tract. crim. tom. 1. lib. 3. c. 37.* Quorum sententiam & autoritatem, utpote practicorum, sequitur Carpz. *prax. crim. p. 1. q. 41. n. 9. & p. 3. q. 141. n. 52.* In Hæreticis autem præscriptionem non deprehendo. Hæresin enim esse cum pertinacia conjunctam, suprà *th. 28. n. 2.* dixi, indeque actus permanentes habet, adeoque præscriptio non invenit, ubi pedem figat: quia ad momentum ferè de novo talis delinquit. Si autem resipiscat, atque desistat ab hæresi, sine ea pœna recipi solet in ecclesiæ gremium. Sic & *Apostasiæ criminis, nullis finita temporibus, indago arcetur. l. 4. C. de Apostat.*: ex eadem, ut puto, ratione, quia singulis momentis pro apostata se gerendo, indesinenter peccatur. Altera autem illa præscriptio, quâ post mortem ad excludendam actionem opus est, in omnibus regulariter quinquennio contenta est. *tot. tit. ff. & C. ne de stat. defunct. post quinq.*; adeoque & juri accusandi tum ratione publicandorum bonorum, tum damnationis memoriæ, vel etiam quasi corporalis supplicii, si, cui crimini tale post mortem adhuc irrogari soleat, eo tempore præscribitur, sicut in cæteris publicis judiciis, ita etiam in causis Majestatis. Clar. §. *las. Mai. n. 16. inf.*; imò & in crimine Apostásiæ. *l. 2. C. de Apost.*; cujus tamen inter vivêtes indago nullis temporibus arcetur, *ut dictum*, adeoque idem etiam in hæresi. Quod & ipse Pontifex sentire videtur *in c. 2. de praescript.*

Script. in 6. verb. *licet lex humana*; Licèt aliud ipse induxerit in *dict. cap. 2.* Voluit autem Pontifex *in dict. cap.* ut usque ad 40. annos hæreseos accusatio ratione publicationis bonorum moveri possit: nulla alia forsan intentione, quàm ut eo magis suam ecclesiam ditaret. Cùm enim hæreticorum bona, ut argumentatur Pontifex, ipso jure fisco suo censeantur deberi: sicut idem pontifex jam *in c. 19. de Heret. in 6.* sanxit: ecclesiæ autem, non nisi 40. annis præscribi, jam diu placuerit. *cap. 8. x. de Præscript.*, commodissimum hoc arripuit, ut, etsi hereticus mortuus fuerit, accusatio contra eum, etiam post quinquennium, moveri possit, duretque actio ratione bonorum, ut ea filiis etiam orthodoxis, (in quo iterum à jure civili dissidet, quod orthodoxis hereditatem adjudicat. *l. 4. §. 6. C. de Heret. Authen. idem est. C. eod.* add. *l. 12. l. 15. C. eod.*) intra 40. annos auferantur. Damnationem verò memoriæ, quæ altera pœnæ species, non curat, sed suo quinquennio finiri non vetat. Postquam autem damnatus quis, ac effigies ejus securi, loco veræ executionis, subjecta fuit, nulla eum ampliùs præscriptio à corporali pœna, quam rediens sustinere debet, tueri potest, etsi post 50. annos captus fuit: ut bene concludit Foller. *in pract. crim. in verb. captis for indicatis*, quem sequitur Bajard. *ad Clar. §. fin. q. 51. n. 2.* Præscriptio enim actionis exclusio est, non sententiæ aut executionis.

LXXXVI.

Sic etiam in hisce criminibus *II. Transactio* licita est, accusationis evitandæ causâ. Nam illa decantatissima *l. 18. C. de transact.* in omnibus omninò criminibus, quæ pœnam sanguinis seu capitis, id est, mortis ingerunt, transactionem fieri permittit, præter adulterium. Quia ignoscendum putarunt leges ei, qui sanguinem suum quali quali modo redemtum voluit. *l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sent.* Quam legem & Cicero expressit in *Orat. pro Milon. Omnis est honesta ratio expediendæ salutis.* Ex ipsa igitur exceptione, quâ confirmatur regula, in casibus non exceptis, non levis conclusio est. Imò & magnum momentum hoc habet argumentum, quòd totidem verbis idem hoc suppeditent Basilic. *lib. 6. tit. 26. in fin.* ibi: *De crimine Maiestatis, de quo etiam transigere licet.* Vid. Vinn. *de transact. cap. 7. n. 14.* Struv. *Synt. iur. civ. Exerc. 6. th. 61.* Idemque de Hæresi Wissenb. *ad tit. ff. de transact. num. 17.*, ac de blasphemia quoque, affert Clar.

quæst. 58. n. 24. Diversum autem non probatur 1. quòd conscii in causa Majest. eadem severitate plectantur, quà auctores ipsi. *l. 5. §. pen. C. ad l. J. Mai.* Qui autem transigit, utique criminis conscius fuit: nemo enim cum altero transigere potuit, nisi de crimine quid cognoverit, ac proinde ejus accusatio metuatur; imò ipsa transactione se scientiam habere, quis profitetur, ac se prodit. Nam Resp. per conscios ad effectum pœnæ hujus criminis non intelligerem, nudè scientes, sed asseclas, participes consiliorum, factionis consortes, etsi nihil tentassent; aut scientiam cum approbatione. Quod verba & sensus legis sat innuunt. *d. l. 5. §. 6. & §. 7.* ubi, ubi, *satellites conscii, ac ministri, &c. In exordio initæ factionis initam prodiderit, &c. Usus factione, consiliorum arcana patefecerit*; quanquam etiam quosdam novi ex sola scientia punitos, quasi & tacens nocens fiat. Et quinam pro consciis habeantur, apparet quadantenus etiam ex *l. 6. ff. de Parricid.* ubi etiam extranei conscii culei pœna plectuntur. Deinde conscius ac transigens, ne in *d. l. 5.* incurrat, non requiritur, ut accuset, sed sufficit ad pœnæ evitationem, imò ad præmium, ut judici denunciet: Differunt enim plurimùm *deferre* & *accusare*; hic argumentis causam instruit; ille defert, ut magistratus inquirat: adeoque non obstante transactione, quæ de accusando tantùm agit, strictique juris est, deferre ac indicare potest, imò tenetur. Brun. ad d. *l. 5. num. 6*; magistratui verò aut fisco illa transactio impedimento non est. *l. 5. §. ult. de V. publ.* Gail. *l. 1. P. P. cap. 11. num. 20.* Struv. *Exerc. 6. th. 61. in fin.* Nec 2. ex eo asseritur, quòd abolitio in hoc crimine fieri nequeat. *l. ult. C. de abol.*: unde non videtur accusator desistere posse citra abolitionem. *l. 1. §. 7. ad SCt. Turpil.* Nam abolitio conceditur à magistratu, qui non debet tanti criminis indagationem omittere: Transactio verò fit cum reo, qui excusatur, quòd sanguinem suum quovis modò redimere voluerit. *l. 1. de bon. eor. qui ant. sen. l. ult. ff. de Pravar.*; Unde actor citra abolitionem licitè desistit. De abolitione, quæ tollendæ accusationis quoque species est, vide *d. l. 3. C. de abol.* Quia autem abolitiones illæ, teste Wesenb. *ad tit. ff. de accus. n. 13.* Argentræ: *de consuet. Britann. art. 274. num. 7. & seq.* Bugnyon. *in leg. abrog.* Struv. *Exerc. 49. thes. 89. pr.* moribus nostris non servantur, eas prætermittimus.

LXXXVII.

Sed hisce modis crimina tantùm, antequam ad executionem deproperent, suffocantur, executio ipsa non tollitur ac enervatur. *Factâ E. executione, solùm restat Restitutio*, quæ principum est, reumque post fictam executionem à vero supplicio liberat. Nam ita illa Principi propria fuit, ut ne senatoribus Rom. sententias retractare licuerit. *Sed non senatui* inquit, Tac. *l.3. libertas ad pœnitendum fuit. l.15. C. de pœn.* Effert a. se Principalis Restitutio vel per viam *Justitiæ*, vel per viam *Gratiæ* atque *Indulgentiæ*. *Illa* damnatis, sed non verè reis, succurrit: hæc reis; *illa* innocentem invenit: *hæc* quasi facit. Nullum autem dubium est, si restitutio fiat per viam *Justitiæ*, ubi probatâ à reo innocentiâ prior sententia rescissa est, quin recipiat bona omnia, actiones & activè & passivè; tum omnia jura, tam personalia, dominium in servos, patriam potestatem in liberos, jura patronatus in libertos; imò & tutelas: quàm realia, sive ipsum dominium rei directò respiciant, sive indirectò, vel saltem utilitatem, ut usumfructum, ac reliquas servitutes; item Feuda, emphyteusin &c.; quin & obligationes ex omnibus contractibus, stipulationibus &c.; modos acquirendi, sive jure civili confirmatos sive inventos; non modò res sed & fructus. Quoad fructus tamen dissentit Per. ad *tit. C. de sent. pass. & rest. n.15.* Sic & jura civitatis, capacitatem munerum capessendorum, famam, honores, activam ac passivam testamenti factionem, jus dicendi testimonii, ejus certitudinem admissionemq;, ut omni exceptione major sit; Uno Verbo, omnia; nullo habito respectu, an quid de iis in alios translatum sit, an non. Hic enim justitiæ vigor est, non principalis privilegii ac gratiæ effectus: nec de suo quid concedit Princeps, sed per restitutionem decidit, reum antea iniquè fuisse condemnatum, & consequenter rem quoque ipsius iniquè alienatam, jura injustè ademta. Adeoque rescissâ sententiâ alienatio rescinditur, quæ nullo jure facta erat; omniaque omninò ad eum statum rediguntur, quasi nunquam fuisset condemnatus. *l.24. §.4. ff. de minor.* ibi: *Restitutio ita facienda est, ut unusquisq; in integrum jus suum recipiat: & l.27. §. 2. eod. & l.38. §.4. ff. de usur.* ibi: *Nam propter id agit, ut perinde sint omnia, atque si nihil alienatum esset: & verbum restituo plenissimam habet significationem, ut & fructus restituantur.* Et restitutio in inte-

integrum dicitur totius causæ redintegratio. *add. l. 2. C. in quib. caus. in int. restitut. non est nec. l. 4. C. de his qua vi met. caus.* Hæc autem restitutio, quâ cognitâ causâ reus innocens pronunciatur, liberatque tum à judicio, tum sententia, tum executione, longè differt ab ea admissione ad novum processum, ne obstet reo sententia, quò minus innocentiam post finitum judicium defendat, & contra strictum jus concedi nonnunquam solet à principe, vel à senatu, si princeps hoc ei concesserit, à quo reus antè damnatus fuit. Et fit itidem per restitutionem: de quo Clarus § *fin. q. 44. n. 6. n. 11. in fin. & q. 94. n. 12.* & nos *th. 59.* Illa enim admissio ad probandam innocentiam novum judicium aperit, nec intereà prior sententia tollitur, sed solùm differtur: hæc autem restitutio planè cognitionem post impetratam restitutionem aufert ac submovet, ut restet ampliùs nulla quæstio aut cognitio.

LXXXVIII.

Gratiosa verò *restitutio* tam pinguè succurrere non solet, & ut ipsa parcior est, nec tàm frequenter à Principe conceditur, ita & parciùs nobis jura pristina, nec tam prolixa ac larga manu, concedit. Omnis autem mensura hujus est veniam indulgentis Principis voluntas. Aliis enim pœnæ saltem gratiam facit; aliis & bona & amissa jura restituit. *Restitutionibus illis gratia, qua amplissimè plenissiméque à principe fiunt,* omnia recipimus bona, jura, ordinem, honores & dignitates. Ideoque Constant. *in l. ult. §. fin. C. de sent. pass. & restit. Tantum ad restitutionem indulgentia valeat, quantum ad correctionem sententia valuit, utque deportationis ipsum per se nomen rerum omnium spoliatio est, ita indulgentia restitutio bonorum ac dignitatis, uno nomine, amissorum omnium sit recuperatio.* Et Antoninus *in l. 1. C. eod.* Julianum Licianum restituens sic ait: *Restituo te in integrum provincia tua; & adiecit: Ut autem scias, quid sit restituere in integrum: Honoribus & ordini tuo & omnibus cateris te restituo.* Itaque omnia jura, etiam civilia, recuperat, bona, actiones; imò & testamentum antè factum convalescit, & ex jure postliminii ad restitutionem ex indulgentia argumentatur. *l. 6. §. pen. ff. de iniust. rupt.*; jura agnationis cognationisq;. *l. f ff. l. fin. C. de sent. pass. & restit.*, successionis. *l. 1. §. 4. Tertull. & sim.* Ita autem demum restitutus illa omnia recipit, si bona vel honores vacent,

vacent, i. e. si nondum legitimis modis in alios bona translata sint. *arg. l. 24. §. 3. & 4. ff. de min.*, locus aliis concessus. *l. 2. ff. de decur. l. 3. §. 2 ff. de muner. l. 13 ff. ad l. C. de fals.* add. *l. 1. & 2. C. de his, qui in exil. l. 15. pr. ff. ad munic. l. 8. ff. de postul. l. 13 §. 7 ff. de his, qui not. infam.* Restitution. non trahitur *ad ius alteri quasitum*, quod ei invito, ne quidem à Principe, auferri potest. & quod quis à fisco, sive per donationem, sive emtionem, vel quemcunque contractum, consecutus est, de eo à nemine molestari debet, sed omnium tutissimus esse. *l. 3. C. de quadrien. praescript. t. t. C. ne fisc. rem vend. §. fin. Inst. de usuc.* Blum. *proc. Cam. tit. 77. §. 47.* Gail. *l. 2. P. P. c. 19. n. 4. & 9.* Nec potest Princeps hoc per gratiam concedere, quod ipse non habet. *c. 79. de Reg. iur in 6.* Hinc nec privilegia aut gratiae cum cujusque injuria tribuuntur. *l. 1. §. 10 ne quid in loc. publ.*, sed ita accipiuntur, salvo jure tertii. *l. pen. C. de prec. imp. off. c. 8. de rescript. in 6.* Regula enim haec: *Nemini ius quasitum auferendum*, juris naturalis est, & proinde principem quoque tenet. Quaeritur itaque, *an non saltem pretium restituere tenetur, quatenus factus est locupletior?* Neg. 1. Quia interim pleno jure res ipsius fuit, & ut dominus legitimus, alienare potuit. adeoq; de eo amplius non tenetur. Nec n. quod hoc casu alienatum est, ad eorum exemplum contingit, quibus res non stabili ac perpetuo jure conceditur, sed sub conditione, ut post adimatur: ut heredi in legato conditionali, pendente conditione. *l. 29. §. 1. qui & à quib.*: bon. fid. possessori ratione fructuum exstantium. *l. 48. pr. ff. de acq. rer. dom.*, qui domino vindicanti restituendi sunt. *l. 22. C. de Rei vind.*: in donatione mortis causa. *l. 66 ff. de R. V. l. 29. ff. de mort caus. don.*: emtori, qui emit cum lege addictionis in diem, usque dum melior conditio offeratur. *l. 41. pr ff. de R. V.*; qui omnes saltē jure dominii revocabilis fruuntur. Nam illic veniente conditione jus prioris resolvitur, adeoque etiam alienatio: hic a. non eventus speratur, nec sub conditione tenet possessor, sed plenè, & ex intentione, etiam ipsius Principis, dum res occupantur, irrevocabiliter. 2. Quia nequit restitutus plus petere, quàm restitui ipsi ex pristinis bonis à Principe potuit. Sed quod in alios translatum est, princeps restituere nequit. *Auferret enim alteri ius quasitum*; quod, ut dictum est, ne principi quidem licet sine justitiae offensione. Quò tendit illud Ambros. *in c. 10. q. 5. XIV. si non potest subveniri al-*

teri, nisi alter lædatur, commodiùs est neutrum juvari, quàm privari alterum: adeò, ut ne minimum quidem juris sibi per hanc restitutionem prætendere possit, cùm tota res alterius juris sit, indeque nec æstimationem ritè petit, quæ deberi solet, ubi res ipsa debetur, dari autem non potest: adeoq; nihil refert, *an ille ex onerosâ, vel lucrativâ, causâ possidere desierit?* Diss. Bart. *per l. 25. §. 1. ff. de pet. hered.* Zœs. *per l. 18. ff. quod met. caus. ad tit. ff. de sent. pass. &c.* ℞. longè aliud in petitione hereditatis: nec semper & ubique pretium in locum rei succedit: imò planè non, si res ipsa ne quidem debeatur. Si a. se in prona voluntate Principis restituentis fundant dissentientes, non negamus, quòd in fisci sui præjudicium hoc possit Princeps facere, fiscoque, ut precium restituat, injungere. *Quid de fructibus medio tempore perceptis ac consumtis?* Non restituendos restituto arbitror. Possessor enim autoritate Principis, adeoque justè, rem tenuit, &, tanquam ex re sua, fructus lucrat⁹ est. *l. 11. ff. de acq. poss. Auth. idem est. C. de haret.* Ord. Camer. *part. 3. tit. 46. §. ult.* Blum. *proc. Cam. t. 77. §. 48. 49.* Nec obest, quòd, jussus restituere rem, intelligatur *restituere cum fructibus. l. 35 ff. de V. S. l. 38. §. in Faviana ff. de usur. l. 173. R. I.* Quia in Fabiana, ad exhibendum, vindicatione & simil. petimus quid ab alio, qui jure possessor non fuit: at cùm restitutus à Principe bona recuperat, res ei ex gratia restitui juberentur, ab iis, qui optimo jure domini erant. Quod autem diximus in restitutionem non venire ea, quæ in alios jam translata sunt, id de ea *translatione intelligendum est, quæ facto hominis contigit.* Factum enim hominis justè possidentis, ac alienandi facultatem habentis, efficit, ut tertio jus quæsitum sit, adeoque cum talibus contrahentes, quia nullus adest juris defectus, tutos præstat ipsum synallagma, seu illud negotium, quod inter eos gestum est, nec restitutioni res illas obnoxias esse permittit; maximè quòd non debeat defraudari, qui fisci fidem sequitur. *dd. supra ll.* Secus est, *si quis immediatè per sententiam ius suum consecutus est.* Cùm enim jus illud primò ex sententia dimanet, & acquirens immediatè causam suam à condemnatione trahat, & jus suum, quod putat se adeptum esse, fundet non nisi in sententia, non potest non illud extingui, si sententia per restitutionem rescindatur, & causa ad non causam reducatur; eodem ferè modo, quo res, apud fiscum extantes, necdum ejus facto alienatæ, restitutione

sen-

ſententiâ reſciſſâ, recuperantur. Sic jus Patronatûs, quia non facto hominis, ſed ipſâ deportationis, ſententiâ amittitur; ſic patria poteſtas ſola damnatione perit, ac filius fit ſui juris, cùm deportatus pro mortuo habeatur; adeoq; & patronus & pater hæc jura recipiunt. Et de patrono aſſerit illud ſat evidenter *l.1. §.1. ff. de ſent. paſſ & reſt.* ibi: *Poſt reſtitutionem ius patroni non exſtinctum videri. l.21. pr. ff. de iure patr. l.3. §.7. ff. de bon. lib. l.10. § 6. ff. de in ius vocand.* & quòd filius in patris poteſtaté redigatur, cui bona ac dignitas reſtituta ſunt, manifeſtò apparet ex *l.13. C. de ſent. paſſ. l.1. §.1. ff. eod.* add. *l.1. §.4 & §.8. ff. ad SC. Tertull. Non obſt. l.6. l.9. C. de ſent. paſſ.* Nam illic de nuda remiſſione pœnæ agitur, non plena reſtitutione. Et in illis caſibus non *tam eripi quid videtur, quàm ceſſare cauſam acquirendi*, ait Perez. *ad d. tit. n.6.* Quòd autem Zœſ. *ad hunc. tit. ff. n.6.* ſolùm actiones reales poſſe reſtitui ſtatuat, perſonales non item: oppidò falſum eſt, nec rectè procedit, dum ita argumentatur: *Actiones per deportationem tolluntur: Obligationes* verò, *quæ ſemel ſublata ſunt, nunquam reviviſcunt, niſi legitimis modis, inter quos non eſt reſtitutio.* Nam reſtitutio omninò legitimus modus eſt; & contractuum perſonaliumque jurium reſtitutorum frequens mentio fit, ut in *l.3. ff. l.12. & paſſ. C. de ſent. paſſ.* imò & tales directis, non utilibus, actionibus agere & conveniri poſſunt. Aſt directas actiones locum habere, inſolens fortè cuidam videri poſſet; ſed ſatis expeditum eſt. Nam cùm conſtitutiones ac reſcripta principum directò jus faciant, legumq; vim habeant, ambitu non eſt opus, ſed directæ actiones conceſſæ ſunt; at ſi Prætor ita reſtitueret, & veniam daret, qui jus facere non poteſt, ſed tantùm quaſi jus: nec heredem, ſed bonorum poſſeſſorem, id eſt quaſi heredé, non directis, ſed utilibus loc⁹ eſſet. Patet itaq; certiſſimum eſſe, quod probat Jaſ. *ad l. Gallus. §. & quid ſi tantùm. ff. de lib. & poſth. her. n.73.* Men. *de recup. poſſ. 10. remed. n.11. & ſeqq.* reſtitutionem per viam juſtitiæ multò pleniorem eſſe, quàm per viam gratiæ. Reſtitutione ex juſtitia, & fructus, & omnia, ſive ſententiæ ſola vi, ſive accedente contractu, in alios translata, redintegrantur ac reſtituuntur: quaſi per juſtitiæ viam res ad ſua primordia reducatur, ceu nunquam damnatio interveniſſet; Gratia autem demum poſt delictum incipiat, tunc ſc., cùm intervenerit: non priùs; indeque res, medio tempore geſtas, regulariter relinquat

linquat in medium, nec quoad eas, ut & fructus, &c. habeatur, ac si nunquam deliquisset. Hæ tamen restitutiones, sive gratiæ sive justitiæ sint, etiam post mortem fieri possunt, & non solùm personas restitui legimus, sed & imagines reponi, memoriam iterum coli ac resuscitari, advertimus: Sic Galbæ & Pisonis memoria restituta apud Tacit. *lib. 4. histor.* Ita in Colinium lata sententia rescissa, ac honor ei restitutus apud Thuan. *l. 53.* Add. Frantzk. *Exc. Jurid. Exer. 13. q. 6.* Cæterum Pragmatici in quibuscunque gratiæ concessionibus *interinationem* requirunt. Est autem *Interinatio* approbatio & excussio, quæ quandam causæ cognitionem habet, quoad subreptionem & obreptionem gratiæ, impetratæ à principe; eum E. in finem admissa hæc cognitio, non, ut innocentia probetur, sed ne de venia ampliùs dubitetur. Vid. Clar. *§. fin. q. 59. n. 10.* Perez. *ad d. tit. C. de sent. pass. n. 16.*

LXXXIX.

Huc quoque pertinet *Cancellario ex libro damnatorum*, vulgò das Bluttbuch / in quo illorum nomina referri solent, qui perpetrato facinore aufugére, ut quocunque tempore reperiantur, judicio sistantur, pœnis promeritis subjiciantur: Quæ tn. potiùs quid consequens est restitutionis: licèt non negem, per hunc actum, etiam ipsam restitutionem concedi posse. Sed de hac materia vide prolixè Clar. *l. 5. §. homicidium. num. 62.* ibique Bajard. *283. & mult. seqq.* Mascard. *de probat. concl. 162.* Menoch. *arb. jud. quæst. q. 283. n. 3.* Gilhaus. *arb. crimin. c. 6. p. 1. §. 18. n. 15. n. 22. & seq.*

XC.

Hæc quoad modos tollendæ executionis. Moneret nos ordinis ratio, ut ad modernam quoque in *Nomine executionem*, quæ huic valdè vicina est, deveniamus: Intelligo illam, quæ in bellico jure frequens est, & refugos milites manet, nempe, quà militiam deserentis, vel inobedientis, & quocunq; saltem modo fugitivi, prævia publica citatione non comparentis, nomen, in vicem ipsius personæ, patibulo affigitur, ac ita absens nomine eum locum præoccupat, quem rediens corpore. Ut enim illa executio in effigie imaginem mactat: ita hæc nominalis, ut ita dicam, executio, nomen suspendit; & ut illa præsagium supplicii cujuscunque est: ita hæc crucis, ac suspensionis. Solent

lent n. jam inde vetustissimis temporib⁹ militiæ desertores cruce ac patibulo apud Germanos plecti, Tacito teste. Hoc autem executionis genus, quo nomina patibulo applicantur, atque affiguntur, usitatum satis est, ac toto die contingit, magisque adhuc frequentatur, quàm illa in effigie executio. Origo autem ejus ab executione imaginis non multum discrepat, facileque colligitur ex iis, quæ *thes. 10.* suprà tradidimus. Cætera autem, si suscipere vellemus, atque integram naturam, proprietates, requisita, ac quicquid circa eam publica sanctio constituit, vel consuetudo ferè universalis introduxit, afferremus; novum pelagus denuò nobis ingrediendum esset, qui concussâ, ac penè naufragâ navi ægrè Syrtes prænavigavimus, ac, in portum timidi recepti, altum omne timemus. Illum saltem locum de affixis patibulo nominibus ex jure militari, optimè antè dicta declarantem, adjungo, qui in Christiani IV. Regis Daniæ legibus ac scitis militaribus continetur *art. 29.* his verbis: So einer entweder zum Feinde/ oder sonsten hin weg/ geloffen/ davon soll der Feld-Marschalck/ und die andere Officier Recht über ihn halten/ und zu Roß und zu Fuß durch ein Außblasen und Trummenschlag ihn vor Feldflüchtig erklären: und soll ihm alßdann zugleich ein Gerichtstag angesetzet werden/ stellet er sich ein/ und seine Entschuldigung findet alßdann statt/ ist er frey; bleibet er aber auß/ soll er ehrloß erkant/ und sein Name an Galgen geschlagen werden. Wer wissendlich mit solchem umbgehet/ in was Käyserthum oder Königreich es auch seyn möge/ soll solchem verloffenen Schelmen gleich geachtet werden. Vid. Petr. Papp. *in Corp. Jur. militar.*

XCI.

Posset fortè huc inter affinia alia executionis species annecti, *quæ in Scriptis ac promulgatis Autorum voluminibus fieri consuevit.* Scripta enim quodammodo imagines sunt virorum illustrium, quibus, ut minùs differant illæ ab archetypo, se ipsos exprimunt atque depingunt summi illi artifices. Per illa scripta spirant Autores, ac chartaceis istis monumentis æternitati, quovis ære ac marmore pereniùs, consecrantur. In libris suis vivunt, vitamque, quam operibus suis dederunt, eandem ab ipsis partubus, cum fœnore quodam immortalitatis, reposcunt. Manet itaque litera scripta, dumque multorum ocu-

lis lustratur, multorum manibus teritur, vires acquirit eundo. Si quid igitur iniquum, improbum ac blasphemum, si quid contumeliosum, turpe ac probrosum, si quid perniciosum ac scandalosum literis consignatum fuerit, ne id in conspectu hominum versetur, removendum abolendumque censuére: atque ita, ejusmodi, quæ, in lucem mitti, indigna judicarunt, ignibus immiserunt. *Unde omnia provocantia Deum ad iracundiam scripta, & pias mentes offendentia, ut ne ad aures quidem hominum venirent*, Impp. *voluerunt* in *l. 3. §. 1. C. de sum. Trinit.* Eamque executionem jam vetustissimis temporibus usitatam ex Cicerone *lib. 1. de Nat. Deor.* probari potest, narrante: Athenienses Protagoræ scripta, quòd sinistra quædam in Deos suos malo auspicio protulisset, facibus publicè admotis in cineres redegisse. Unde idem *lib. 3. Off. & lib. de Universitate* indigitat, veteribus periculosum fuisse, contra vulgi opinionem de Diis dicere. Idemque scripta aut impressa Hæreticorum deliria meruére. Sic *l. 8. §. 5. C. de Har. Omnes chartæ ac libri, qui funestum, Eutychetis scil. & Apollinaris, complexi fuerint dogma, concrementur; ut facinorosa perversitatis vestigia, flammis combusta intereant. eod. §. Nemo audeat scripta contra Concilium Chalcedonense proferre, nemo libros habere, & sacrilega scriptorum audeat monumenta servare.* Sic *l. 6. C. eod. Nestorii libros diligenti studio requiri, & publicè comburi decernitur, nec quisquam eos scriptos habere, aut describere, audeat.* Et *l. 3. § 1. C. de sum. Trinit. Quæ Porphyrius contra religionem conscripsit, apud quemcunque inventa fuerint, igni mancipentur.* & *ead. l. §. 3.* ubi *doctrina conscripta contra Synodum Nicæa & Ephesi, & Nestorii potissimùm comburi iubentur; & perfectissimo interitui mancipari, ita, ut in nullius cognitionem venire possint.* idem *de Nestorii & Porphyrii operibus, quæ igne à possidentibus comburi iubentur.* In *Nov. 42. cap. 1. §. 2.*; *Et qui Manichæos libros habet, & non manifestat eos, ut comburantur, severè plectitur. l. 16. §. fin. C. de hæret.* Confer Socratem *1. hist. 6.* Phocium *12 Nomocan. 3. can. Apost. cap. 59.* Burs. *cons. 344.* Perez. *ad tit. C. de Hæret. num. 3.* Tulden. *eod. num. 4.* Add. *c. 9. c. 7. c. 11. distinct. 37.* Nec minùs in tabulas ac libros Mathematicorum, id est, Magorum, Incantatorum, Divinatorum, Sortilegorum, Haruspicum, Augurum & Auspicum, Hariolorum, Necromanticorum, Chaldæorum, (quod ex Gell. notum in *Noct. Att. l. 1. c. 9. Vulgus, quas genti-*


gentilitio vocabulo Chaldaos dicere oportet, mathematicos dicit:) aliorumque, homines præstigiis ac characteribus fascinantium. vid. Tulden. *ad C. de Malef. & Mathem. num. 3.*, hæc executio defecit, per *l. 10. C de Episc. audient:* ubi *tales codices coram oculis Episcoporum incendio concremandos esse,* expressum est. Quod & antè Augustus suscepit, qui in Pontificatu suo quicquid fatidicorum librorum Græci latinique generis, nullis, vel parùm idoneis, autoribus, vulgò ferebatur, supra duo millia contracta undique, concremavit. Suet. *in Aug. cap. 31.* Sic & in Act. Apostol. reperimus eos, qui divinatoriam artem hactenus professi erant, publicè libros illos ustulandos attulisse, vi Evangelii disseminati feliciter usquequaque triumphante. *cap. 19. v. 19.* Vid. *l. ult. C. Th. & tot. tit. C. de malef. & mathem.* Liv. *libr. 29.* Paul. *5. sentent. 23. §. 12.* Conf. Zypæum *de iure Pontif. novo tit. de sortileg. & in not. iur. Belg. l. 9. tit. de Malef. & Math.* Imò in omnibus voluminibus rejectis. *Constit. Justin. ad Senat §. 21.* & codicibus improbatæ lectionis illud adhibitum, qui protinus, instar mali medicamenti ac veneni, corrumpendi sunt. *l. 4. §. 1. ff. fam. hercisc.* Ita Theophili Blasphemum Satyricon, Francisci Josephi Borri hæreticæ paginæ, Petri Aponensis characteres magici, aut pro magicis saltem habiti, incensi sunt. *suprà th. 46. 47.* De Pasquillis idem judicium, idem processus fuit: quibus Zoili ac conviciatores ore Pasquini non Romæ solùm, sed ferè per totum orbem alios mordent, linguâ Pasquini nimis ingenioso sæpe sarcasmo insectantur, ac aculeati illius Sartoris acu confodere satagunt. Nihil verò æquius est, quàm ut famosi illi libelli, qui aliorum famam lacerant, dilacerentur, & claudicantia illa carmina Vulcano dedicentur, atque ita improbus ille conviciandi calor flammis exstinguatur. *Igni* igitur, *ut consumantur chartula illa, ac corrumpantur,* cuilibet sub pœna injunctum est. *l. unic. C. de fam. libel.* Quin etiam publicè à carnifice ejusmodi chartas comburi solere, notissimum est. De quib⁹ prolixè Bocer. *add. l. unic.* Add. Dion. Gothof. *ad l. 12. tab. lib. 2. tit. 25. §. 3.* Jac. Gothof. *in restit. l. 12. tab. 60. Eclog. 63. 6. Harmon. 9.* Paul. *5. sent. 4. §. 1.* Dd. *ad l. 5. §. 9. & 10. ff. de iniur.* M. Stephan. *ad art. 110. Ord. Carol.* Colleg. Argent. *ad tit. ff. de iniur. n. 38. & seq.* Omnis E. hæc executio in scripta Hæretica, codices reprobatos ac Pasquillos, deletionem eorum ac remotionem ex conspectu homi-

num solùm intendit, non supplicii sequentis imaginem retulit; ut adeò ad hanc nostram executionem parùm faciat, & ne quidem inter similia referri mereatur. Sed eo tantùm animo extremis digitis hîc eam tetigimus, quòd cum veterum executione quid commercii habuisse, & cum hac Nostra ut plurimùm eam conjunctam fuisse, observemus.

Atqua ita EXECUTIONEM HANC IN EFFIGIE sine sanguine, non sine sudore, peregimus. Quâ in re, si errores, aut lapsus Lector perspicax deprehendat (sine dubio autem passim deprehendet) si benevolus erit, facilè veniam inveniam; sin rigidus ac severus, quod malim, Platonicæ sententiæ *Executionem* : *Errantis pœnam esse*, DOCERI: in non invitum, aut repugnantem, vel aufugientem, ut solet in effigie fieri, sed in cupientem, petentem, optantem, suscipiat.

SOLI AUTEM TRINUNI DEO SIT LAUS, HONOR, GLORIA AC MAJESTAS IN SECULORUM SECULA.

F I N I S.



A D



AD
MERITISSIMUM
JURIS CANDIDATUM IN-
AUGURALITER RESPONDEN-
TEM.

I.

HÆc est quæ Phœbo, Themidi quæ pagina docta
Quæque vetustati tota venusta placet.
Ingenij EFFIGIES hæc est certissima magni,
Æternæ laudis quod monumenta parat,
Tu propriæ mentis pictor, famæque perennis,
ZOBELI, hâc vivas clarus ab arte diu.

PRÆSES.

II.

Cùm Respublica nulla diu consistere possit
Neglectis studiis, laudandi hinc atque fovendi
Inprimis operam huc dantes, telâ studiorum
Pertextâ in patriam quò commoda grata redundent:
Quòd Tibi sit parilis mens hactenus, innuit hocce
Scriptum; quo metam contingas, serius opto.

JOHANNES GRAVIUS, D. Jur. Can.
& Praxeos Prof.

III.

NOn tibi pro studiis prolixa encomia scribo,
Est scripta in scripto hoc laus tua tota simul.
f.

BURCKHARDUS BARDILI, D.P.P.




LA vertu habite en des Lieux
Dont l' accés parroît si affreux,
Et les difficultez y sont si bonne garde,
Que l' aspect en surprend quiconque les regarde;
Mais quand vn coeur comme le tien
Tendant à son souverain bien
A forcé tout ce qui luy faisoit resistance,
A lors vn fleuve de plaisirs
Vient rassasier ses désirs,
Et luy donner sa recompense:
Enfin dedans ces Lieux Sacrez
Il oublie à loisir tous ses travaux passez.

Reçoy cher Amy la reflexion, que nous fait faire l' honneur, que nous sommes ravis devoir rendre à ton merite & à ta vertu!

TES COMMENSAUX.


A MON-



A MONSIEVR

ZOBELL sur sa reception à la dignité Doctorale.

Themis ne tiendroit pas comme il faut sa balance,
Et son glaive devroit servir à l'en punir,
ZOBELL, si tu n'allois jouir
Des doux fruits de ta diligence.



LUC LUTKENS.

FINIS.

